DE VTRAQVE COPIA, VERBORVM ET RERVM, PRÆCEPTA, VNA CVM EXEMPLIS, DILVCIDO

breuique carmine comprehensa, vt faciliùs & iucundiùs edisci, ac memoriæ quoque firmiùs inhærere possint.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini
Architypographi Regij.
M. D. LXXIIII.
CVM PRIVILEGIO.

πεντάστιχον.

Si bene percepta est tibi vis & norma loquendi,
Sit variè vt possis proxima cura loqui:
Quò superes homines, superāt qui animātia muta,
Tam bene nec reliquis, ac tibi, sermo fluat.
Eloquij vbertas, verborum & copia rerum
Immortale decus, mentis & oris honos.
Illa labor, studium, stylus & præcepta parabunt,
Explicat exactè quæ liber iste breuis.
Tu modò dulciloquæ cultor studiose Mineruæ
Aspice, & hæc auida volue, reuolue manu.

PRÆFATIO IN COPIAM.

PRAECLARA est semper à viris qui à recto rationis dependerunt iudicio, habita oratio copiosa, & nulla in re rudis: in ea etenim, veluti hoc vno, præstant homines vel maximè brutis animantibus, quòd colloquuntur inter se, exprimuntque sensa dicendo, ipsis hominibus antecellitur. Quam laudem excellentiamque, cùm multum iuuet ars, ratioque locupletandi sermonem, sedulò doctissimis ea viris summæ fuit curæ ac studio. Græci namque auctores aliquot haud obscuri, de ea præceptiones plurima ante secula tradidere. Ex Latinis Fabius Quinctilianus (vt taceam ceteros) homo maximæ doctrinæ atque diligentiæ, cùm alibi tum præcipuè decimo Institutionum libro, parandæ copiæ modum ostendit. Admirabilis (teste eodem Fabio) copiæ artifex Homerus. Apuleius quàm nunc parcè perstringit, nunc fusè eandem rem explicat! Maronem ea in re quis non cum Macrobio laudet? Huic exercitationis generi quantopere omnis eloquentiæ princeps Cicero indulserit, vel illa cum Mimo Roscio concertatio ac contentio celebris argumento fuerit. Sed quid hos ex innumera multitudine tãtum commemoro? Præcesserunt eos non solùm viri, qui copiosè loquerentur, sed & post ipsos in Ecclesia sancta viri ad stuporem eloquentissimæ copiæ extitere, veluti exuberantissimi fontes. Et quæ res sanè magis ampla & in omnibus disciplinis illustrior, quàm oratio instar aurei fluminis diuite quadam verborũ sententiarumque copia exuberans? Quid ornatius, quàm humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè, suis quæque exprimere vocibus; & quoties libet rem eandem, vel cogitata, aliis atque aliis verbis compositè, variè, ornatè eloqui, & ad quod-

cunque decebit accommodare orationem? neque verbis solùm ornatè, sed etiam sententiis copiosè dicere? Quid iucundius, quàm orationis abũdare copia? Atque vt vbertas, varietas, copia, locuples abundansque, sonantibus verbis, vberibusque sententiis supellex orationis & vis loquendi speciosa & admirabilis & propè diuina: sic turpis sanè est exilitas, infantia: & in tanta εὐπορίᾳ rerum, verborũ, eloquentissimorumque scriptorum planè ἀκαρπότερον ἀγρίππου, steriliorem Agrippo, aut etiam ἀφωνότερον ἰχθύος magis mutum, quàm piscem reperiri? Quem huius non pigeat pudeatque! Illam verò pro virili quis non consectetur sermonis pulchritudinem, leporem, splendorem, multiplicemque vbertatem? Verùm enimuerò cùm non temerè & quauis via hæc pulcherrima virtus, dosque animi obtingat; plusque detrimenti quàm commodi vocum & rerum citra delectum inepta adferat coaceruatio, maturo, prudentique consilio opus esse in ea parãda omnes intelligunt: nec dubitabũt facilè, aut nolint ij, qui studiosæ iuuentutis, pro suo amore ac pietate in ipsam semper conatus omnibus in rebus & diligentia alleuiare & industria prouehere conantur, ad hoc quoque studiorum genus, haud contemnenda subministrare adiumenta. Facient autem hoc tum percommodè, si de vtraque copia præceptiones, & succinctas & carmine diligẽter doctèque conscriptas à Romani collegij Societatis Iesu viris doctissimis, vt est videre in sequenti ipsorum præfatione, iam multoties ob singularem ipsarum vtilitatem ac penè necessitatem typis excusas, iuuẽtuti proponant. Nam cùm ij, quos vel solos lacteæ eloquentiæ T. Liuius legendos existimauit, ex Græcis Demosthenes penè lux orandi, ex Latinis Cicero, compluresque alij auctores grauissimi Catholicorum plerumque celebribus in gymnasijs explanentur, multoque iuuet maximè ex ipso fonte haurire, non ex dispendiosis artium & eloquentiæ compendiis, quo-

rum

rum iam haud numerus est: nihil vtilius magisque idoneum fore arbitrandum est copiosæ eloquentiæ feliciter parandæ, quàm vt præceptionum tum dexteritate apud auctores optimos locupletandi orationem, vsus ratioque deprehendatur; tum breuitatis semper vsu sit facillimus, totusque penè labor ponatur in legendis auctoribus, eorundemque imitatione, exercitatione styli, qui est optimus dicendi magister, quam ita & industriæ, simulatque viderunt vel præcepta studiosi adolescentes copiæ, præstare adnitentur, vt non tam ad auctores intelligendos præcepta attulisse, quàm ex ipsis proprio Marte obseruasse hausisseque videantur. Quo vno fiet, vt ineptiis nonnullorum nostræ ætatis proiectis, & aureis horis vtilissimè in præstantium auctorum sedula lectione collocatis, ipsorũ quàm simillimi, in dicendo graues, copiosique, in scribẽdo docti, politique, in consiliis maturi, in rerum administratione prudentes fortesque summa vtriusque cum Reip. vtilitate euadant.

Vale Lector.

GYMNASIVM ROMANVM SOCIETATIS IESV LECTORI S.

SVSCEPTA ſemel à nobis, amice lector, ſtudioſæ iuuẽtutis non ſolũ Chriſtiana pietate inſtituendæ, ſed etiam in re litteraria pro virili noſtra iuuandæ prouincia, ſtatuimus apud animos noſtros nihil omnino prætermittere, quod ad eam rem conficiendam pertinere arbitraremur. Itaque cũ Latinæ orationis permultas & magnas non ad loquendum modò, verùm etiam ad rectè ſentiendum, iudicandumq́ue vtilitates eſſe conſtaret; eius locupletandæ rationẽ, artemq́ue ab aliis hactenus vel prolixè, vel perplexè traditam, viſum eſt, noua quadam, ſed ſuccincta & perſpicua magis tractatione complecti. Methodico igitur more omnia, quibus Latini ſermonis copiam parari poſſe cenſuimus, breui, facili, atque expedito verſu expreſſimus, qui præter eam, quam afferre ſolet, voluptatem, hoc etiam habet commodi, quòd perſtringit paucis ſententiam, & ita connectit, vt libenter diſcatur, facilè capiatur, fideliter teneatur. Qua ſanè ratione adductum credimus fuiſſe Horatium, vt poëticam artem in verſum redigeret. Præcipuè verò Elegiacus id præſtat; quippe qui ſingulas ferè periodos diſticho complectatur. In exẽplis autem & breuitatis & pietatis rationem habendam putauimus, vt ea potiſſimum adhiberemus, quæ rectam & ingenuam educationem, & bonos, ac Chriſtianos mores non nihil iuuare viderentur. Si quod autem vocabulum, quod quidem ad artem faceret, vt accidit interdum, legem carminis refugeret, illud nihilominus per tmeſim verſu incluſimus, ſi factu id omnino neceſſarium videbatur: vel, ſi omitti quidem poſſet, non eſſet autem ignorandum, in margine adſcripſimus, ſicut

cut ſcholia quoque non nulla adiunximus, vbi expedire viſum eſt, ne quid ad perfectam tum ipſius rei explanationem, tum intelligendi etiam commoditatem deſiderari poſſet. Ceterùm formulas ſynonymiarum, quas aliqui Neoterici ſtudioſiùs hinc inde conflarũt, de induſtria nos omiſimus: partim ne diſcendis neceſſariis præceptis ſua obeſſent prolixitate: partim quòd videmus eruditiſſimis quibuſque minimè placere, ijs vti ſermonis formulis, ſeu phraſibus, quas neſcias ex quibus erutæ ſint auctoribus, & nouatas eſſe pleraſque ſuſpiceris. Vnicuique igitur ſtudioſo licebit, quotquot volet, huiuſcemodi voces ſynonymas, cùm ex theſauro linguæ Latinæ, & Doleti commentariis, aliisque id genus Scriptoribus, tùm multo certiùs, feliciùſque ad intelligẽtiam & imitationem ſingularum ex ipſis bonis auctoribus comparare. Hoc porrò opuſculum eorum adoleſcentium vſui eſt præcipuè deſtinatum, qui apud nos inſtituuntur: quod ſi cui minùs placeat, nõ vrgemus vt probet, ſed rogamus ne damnet. Vale. Romæ.

AD CENSOREM.

Fortè librum mauis proſa hunc quàm carmine ſcriptum,
Maior at vtilitas carminis, atque decor.
Propria Muſarum eſt hæc duplice condita cornu
Copia: ceu proprium quæ ſibi carmen amant.
Carmine deinde eadem breuius, citiusq; paratur;
Seruatur meliùs, promptiùs exeritur.
Hæc niſi perſuadent, neque credis teſtibus vllis,
Expertus credas fac, precor, ipſe tibi.

AD COPIÆ STVDIVM EXHORTATORIVM EPIGRAMMA.

NVDVS homo quamuis materna prodeat aluo,
Artibus inuentis commoda mille parat.
Construit arte domos: vestes sibi conficit arte:
Arte colit terras: arte opus omne facit.
Denique naturam socia nisi iuuerit arte:
Quanta infelicem damna necesse pati?
Facundam ergo minus cùm det natura loquelam,
Hac quoque nonnulla est arte paranda tibi.
Prô pudor, est qui iam senior balbutit vt infans,
Linguam ignarus adhuc ritè mouere suam.
Si foret aut opifex, aut rusticus ille ferendus:
Sapius at populo præest, aliosq; docet.
Aut temerè, aut certa nobis ratione loquendum est.
Disseritur temerè: lex nisi certa regat.
Ordine, & ornatu solers oratio gaudet.
Cui carbone rudi picta tabella placet?
Vt varias natura creans, pictórque figuras:
Sic vario comptus schemate sermo iuuat.
Externæ gazæ si turpis habetur egestas:
Turpius eloquio lingua decente caret.
Optimus est homini linguæ thesaurus, vt inquit
Ascræus vates, ergo parandus hic est.
En tibi se gemino diffundit copia cornu.
Verborum, ac rerum copia grandis adest:
Quam puer vt facili capiat, teneatq; labore,
Nexam carminibus Musa, vti serta, dedit.
Hos flores cape, stringe, tere: hos non deterit vsus,
Quò magis vtêris, Copia maior erit.

DE COPIA VERBORVM LIBER PRIOR.

CVi sermonis adhuc curta eſt, & ſcabra ſupellex,
Si legat hæc, damnum pellat vtrunque licet.
Tautologon, vel homœologon ſi turpe vocari:
Tædia quòd varians gratia nulla leuet:
Si velut in ſalebra pudor eſt hærere loquentem,
Ridiculum tremulis ſi reticere labris:
Si tibi grata modis oratio docta ſolutis,
Si placet Aonio carmen alacre ſono:
Si bene ſcriptores libet enarrare peritos,
Vertere ſi linguis ſcripta aliena nouis:
Poſtremò ſi poſſe velis ex tempore de re
Qualibet, vt riuo iuge fluente loqui:
Sermonem aut temerè cœptum quandoque diſertè
Perficere indigna ſi cupis abſque mora:
Hos tibi parta parit fecundos Copia fœtus.
Nec diſcenda minus, ſi breuis eſſe voles.
Vbertas Aſianorum, breuitasq́; Laconum eſt:
Tendere per medium vult Rhodienſe genus.
Quodcunque anteferas, ſit copia nota neceſſe eſt,
Nec bene largitur, nec bene parcit inops.
Ac velut in menſa dapibus genus omne referta,
Quod quantumq́; libet ſumere quiſque poteſt.
Si breuis eſſe voles, delectum Copia præſtat,
Vt nihil obſcurum complicet arcta phraſis.

Copiæ vtilitates.

Ταυτολογία eſt repetitio eiuſdē dicti. Ὁμοιολογία ſimilis omnino neque variati.

Artis aperta breui constabit summa libello:
Rhetorico maior fonte leuanda sitis.
Quisque sed hæc crebro præcepta exerceat vsu,
Donec inexhausto gurgite vena fluat.
Nunc eadem redeat variis sententia verbis,
Vt varias formas vnica cera capit.
Nunc & cum sociis genere ambitionis honesto,
Propositum certes plus variare thema.
Totum argumentum ratione refingere discas
Multiplici: vires auxerit ipsa dies.
Sic athleta Milo paulatim robore creuit:
Qui vitulum tulerat, ferret vt inde bouem.
Nunc facias Græcæ linguæ certare Latinam:
Aequare vt studeas, ni superare vales.
Vertere nec solùm Metaphrastæ more iuuabit:
Sæpe Paraphrasten plura locutus ages.
Carmina nunc Vatum reddes sermone soluto:
Nunc metrico iunges scripta soluta pede.
Carminis & genera interdum mutare labores:
Et iucundus, & est vtilis iste labor.
Auctorisq́; locum fecundum nactus, eundem
Marte æquare tuo, vel superare stude.
Porrò præcipuum est facunda volumina iugi
Vt studio versans, optima quæque metas.
Firmiùs vtq́; eadem teneas, repetenda frequenter:
Ac etiam audaci sunt imitanda stylo.
Hactenus hortatus, tibi iam promissa propino
Pocula, nectareis anteferenda scyphis.
Et prius, vt varijs ditanda oratio verbis,
Deinde sit vt rebus multiplicanda, cape.
Elegantia sermonis Latini necessaria. *Munditiem imprimis linguæ venerare Latinæ,*
Sermo sit vt purus, compositura decens.

Bar-

Barbaries horrenda, solœcismusq́ nefandus
Absit, & improprio more nouata phrasis:
Cur miserum intexas putridis centonibus aurum?
An nitet immundo gemma sepulta luto?
Obserues igitur sermonis iura Latini,
Deinde aliquid mutes, copia sitq́ prior.
Mutari possunt voces, constructio, schema:
De tribus his iam iam formula quæque datur. Copia verborum per triplicem mutationem.

SYNONYMIA.

Prima Synonymia est, eiusdem plura ministrans
Verba rei: vt tellus, terra, humus: oro, precor.
Sermonem vt varies, nunc hoc, nunc vteris illo:
Non sine delectu, iudicioq́ tamen.
His namque aut eadem non significatio planè est:
Aut non ornatus, visq́ sonusq́ pares.
Auctores fac ergo legens, relegensq́ probatos, Delectus verborum.
Turba sit in promptu magna reposta tibi.
Sordida, prisca, noua, antiquata, poëtica, dura, Genera seorsum notanda.
Turpia, rara nimis, vel peregrina notes.
Sordida sunt rebus, personisue haud bene digna: Sordida.
Vt si congerro dictus, amicus erit.
Antiquata voco, penitus desueta: vt Apluda, Obsoleta vocantur à Fabio, & sic differunt ab inusitatis & priscis.
Furfur apud veteres: hostis & hospes erat.
Prisca voces, priscis pereuntibus eruta scriptis: Prisca.
Vt cluo, temetum: quæ modò, pugno, merum.
Propria sunt vatum, dicenda poëtica: sicut, Poëtica.
Tristificus, claro, paupero, vitisator.
Dura appellamus sensu translata remoto: Dura.
Castrata vt cùm res publica dicta fuit.
Sunt peregrina, quibus peregrè defluxit origo, Peregrina.
Vt gerræ, cascus, gaza, sinapi, piper.

Nouantur verba tribus modis.

Verba nouata vocant, nouiter vel ficta, vel vsu
Torta nouò, & quorum compositura noua est:
Vt Nero morari dixit, bellúmque patrare
Crispus: Plautus item Caprigenum, Vnoculus.

Deriuata.

Huius erunt classis quæ deriuata creantur:
Vt, quidnam hic blatero rumigeratus ait?

Græca quando Latinis interferenda.

Verba quoque admittes Græca intermixta Latinis:
Non temerè, sed vox quando Latina deest.
Aut alludendo, aut cùm vis, seu gratia maior:
Quæq; suo Latium prædita iure tenet.

Vsus dictorũ verborum.

Verborum genera hæc proprijs distincta repones
Classibus: interdum commodus vsus erit.
Non secus ac inter genialis fercula mensæ
Commendant dulces acria mixta cibos.
Præfare at veniam, liceat sic dicere, Plauti
Vtar voce, loquor more Neoterici.

Aetatum discrimen.

Distingue & voces quas quæque nouauerit ætas.
Nam dispar, æuo dispare, pondus habent.
Optima censetur, Cicero qua floruit, ætas,
Quò propior quæuis extitit, hoc melior.
Ergo Synonymiæ postquam tibi parta supellex,
Vtere, res eadem cùm repetenda frequens.

Βαττολογία est inepta eiusdem sermonis repetitio.

Quòd si plura simul proferre synonyma gaudes,
Effice quid gratum, Battologonq; caue.

ENALLAGE.

Præbet & ingentes sermonis enallage aceruos:
Antimeria sed hæc, aut heterosis erit.
Antimeria quidem quas fert oratio parteis
Mutat ita, vt prorsus significetur idem:
Vt dubito, & dubiũ est mihi: prõptè & prõpter an
Ad ludũ, & lusum: qui studet, atq. studẽs. [ibit

Qui

Qui mundū ſapiunt, quibus & ſapientia mūdi eſt;
Sunt malè conſulti; conſilijq́; mali.
Quas reperit, retinet partes heteroſis eaſdem: Heteroſis.
Sed mutare quod ijs accidit, illa ſolet:
Perſonam, numerum, caſum, genus, atque figuram,
Flexuram, ſpeciem, tempus, itemq́; modum. 1 Mutatio perſonæ.
Dixeris[1] optimulā[2] quā ſcribimus[3] hoc[4] genus artē 2 ſpeciei. 3 numeri.
Mitto[5] ioca[6] aſſentit[7] læta iuuenta[8] mihi. 4 caſus. 5 figuræ.
Sic permutari paſſiua actiuaq́; tritum eſt: 6 generis.
Hic vt amat Chriſtū, Chriſtus amatur ab hoc. 7 generis. 8 declinationis.
Huc etiam ſpectat cui nonnihil addis & aufers, Metaplaſmus.
Dictio per ſpecies quas Metaplaſmus habet.
Vt petulans[1] gnatus Mauorti[2] accingier[3] optat 1 Proſtheſis. 2 Epentheſis.
Licturus[4] patrem: flerit[5] hic, ille[6] mage. 3 Paragoge, vel Proparalepſis.
Nil ſpecies alias Metaplaſmi copia curat: 4 Aphæreſis.
Recto igitur cœptum calle ſequamur iter. 5 Syncope. 6 Apocope.

ANTONOMASIA.

Nomen adhuc variè lex antonomaſtica mutat, 1 pro muſis, Apolline, Mercurio.
Cum reliquis, deinceps quos memorabo, tropis.
Vt mihi[1] Pierides, Clarius, Caducifer adſint: pro ambitioſo, voluptuario & diuite.
Non rectè hic Macedo, Galba, Midáſue ſapit. pro Deo, ſacris litteris, Chriſtiano.
Dat bona verba pater, ſcriptura teſte, fideli:
Atque redemptor amans, neſcijt illa ſophus. Pro Chriſto & Ariſtotele.

PERIPHRASIS.

Rem multis, vna pro voce, Periphraſis effert:
At decus: aut vbi deeſt vox, vel honeſta parū eſt.
Fert, vt, opem generi humano rex conditor orbis. Pro, Deus adiuuat homines.
Porrò tres ſpecies illa figura parit: Species.
Quippe vel ex etymo referat quid dictio ſignet: Etymologia.
Prudentem, vt, qui res prouidet, eſſe virum.
Vel rem quamq; notis hinc dicta notatio pandit: Notatio.
Vt qui ſæpe manus complicat, aio pigrum.

Definitio. *Vel rem definit, cui definitio nomen:*
Vt qui ritè Deum percolit, esse pium.

METAPHORA.

A proprio voces translatio significatu
Ob simile abducit. suaue sit vnde iubar.
Deflexio à sensu ad rationē. *Præsertim, manat si leniter, è q; propinquo;*
Cùm rerum haud nimium distat vtrūq; genus:
Vt video, capio, teneo, complector honestum.
Namque homo vim sensus, & rationis habet.
Ab irrationali ad rationale, & contrà. Ab animali ad nō animal, & contrà. *Das homini deinceps brutorum propria: sicut*
Latrat homo, aut contrà: ridet vt ille canis;
Siue vnū est animal, vel vtrūq;, aut deniq; neutrū:
Grex teritur, pastor pascitur, ardet ager.
De Ecclesia. *Mutua non nunquam occurrit translatio, sicut*
Nauta ac auriga. Tunc ἀκολȣ̃θα vocant.
Reciproca metaphora. *Farrago è nitidis scriptoribus ampla legenda est:*
Sin fingas, fac sit mollis, amœna, decens.

ALLEGORIA.

Est Allegoria, in multis translatio verbis,
Vnde alium sensum quàm sonuere, dabunt.
De Ecclesia orthodoxa. Sic differt à metaph. *Illius exemplum fuerit: Nunc cymba profundo*
Iactatur, quamuis non peritura, mari.

CATACHRESIS.

De imbecillitate humanæ mētis & sensualitatis (vt vocant) volubilitate. *Sæpe Catachresis, proprium quod desit adoptat*
Improprium, vt breuis est mens: sinuosa caro.
Talia sunt arti sua cuique vocabula, quorum
Communis multis, proprius vsus ei est.

ONOMATOPOEIA.

Nominis interdum reperitur fictio: quale est,
Mugitus, murmur, sibilus, ac strepitus.
Paragoge est deductio verborum nouo- [illegible] *Nec malè quando opus est paragoge verba nouabit,*
Dum sequitur tritam formula certa viam.

Dice-

Dicere cur verear, gracator scripturit ille:
Hic epicurissat: sæpe poëtor ego? — rum iuxta analogiam.

METALEPSIS.

Transsumit vocem Metalepsis acuta, per aptos
Vt sit ab effectu causa petenda gradus. — Post aliquot mea regna videns mirabor aristas, Ecl. 1.
Messibus, vt quoniam æstates, æstatibus annos,
Metimur, tempus signat arista suum.
Et quoniam nigrum obscuri, obscurumq́; profundi
Prætendit specimen, dicitur atra specus.

METONYMIA.

Multa Metonymiæ species est, nomina rerum
Transmutans, ratio quando propinqua mouet.
Pro re signa locas, vt fasces, arma, togamq́;. — Pro consulatu, bello, pace.
Aut inuentores, quósue praeesse putas:
Vt Bacchum, Cererem, Neptunum, Mulciberũq́;: — Pro vino, pane, mari, igne.
Aut etiam auctores, vt, lego Virgilium. — Pro poëmate, pro domo.
Aut dominos: ad nos venias: Gnato deuorat illum. — pro opibus.
Ponitur & factum, pro faciente, scelus. — Pro scelerato.
Et pro contento quod continet, vt gemit orbis. — Pro incolis seu hominibus.
Dux vice gentis: ab hoc principe cæsa cohors. — Pro, ab exercitu Cæsaris.
Causa loco effectus, aut contrà, vt vincere remis, — Pro velocitate.
Pallida mors: species ni metalepsis erit. — Pro, pallidũ reddente.
Sæpe rei proprium, aut personæ seruit vtrique:
Vt facundus homo, sermoq́; turpis, iners.

SYNECDOCHE;
cuius sex species.

Sextupla nõ paruũ dabit inde Synecdoche aceruũ:
Per quam mens aliud concipit ex alio.
Ex vno multos, vt Christi friget amator. — Pro amatoribus.
Vel genus ex specie, pontus vt ambit humum. — Pro mari.
Totum ex parte: velut, superũ tendamus ad axem. — Pro cælo.
Vel contrà: vt, Tiberim Roma superba bibit. — Pro aqua.

Pro, naui. Pro, abnauigauit. Pro, potētes. Pro, nitidus.

Remq́ ex materia: veluti, natat æquore pinus.
Ex praeunte sequens, soluit vt ille ratem.
Postremo quoties aliud comprehendis ab vno:
Vt fuimus Troes: lautus & vnctus homo est.

ÆQVIPOLLENTIA.

Aequipollentia, seu ἰσοδυναμία. De his etiam supra.

Præcipuè variant æquè pollentia, quando
Asseris atque negas, ac ita dicis idem.
Id fit, vbi geminæ voces pugnantia signant:
Atque negatiuas tollo, vel addo notas.
Vt malus est, minimè bonus. Ambit cũcta, nihil nõ.
Improbo, non laudo: vox fera, blanda parum.

Variatio per dictiones cõparatiuas.

Actiua huc spectant passiuaq́ verba, vel illis
Consona: vt, accepit munus hic, ille dedit.
Hic nota nulla negans: vt nec collatio dum sit:
Nigra albis præfert. Post habet alba nigris.
Pluris honesta facit quàm lucra, & lucra minoris;
Despicit ista magis, suspicit ista minus.

Per relatiua.

Adde relatiua his: quoties habitudo duorum est
Mutua. Grammaticam discit hic, ille docet.
Hic conduxit agrum, locat ille. Hæc audio, narras.
Opto Deum patrem, filius esse Dei.
Hunc piget vxoris, piget illius esse maritum.
Proximus huic Deus est, proximus iste Deo.

AMPLIFICATIO.

Amplificatio verbi, non rerum, de qua infrà.

Pulchra fit auxesis, siue amplificatio verbi,
Dum grauius poni, pro leuiore, solet.
Occidit ille metu, monitus hic surdus ad omneis:
Latro, scelus, monstrũ, pestis, auernus, homo est.

HYPERBOLE.

Sermo at hyperbolicus verum per falsa recludit.
Dæmone peior hic est, vi pius astra rapit.

Meiosis

Meiosis contrà variat rem voce minuta.
Vix tetigit. Nihil hoc. Id quasi pluma leue est.
Fit varia & multis oratio nexa figuris. Compositio.
Vnde nouus verbis ordo situsq́; datur.
Acre inconiunctas voces Asyndeton effert: Asyndeton.
Iura, fidem, Christum, scit, veneratur, amat.
Coniunctas verò Polysyndeton exprimit illas: Polysyndetō.
Nunc amor, & pietas, fasq́;, fidesq́; perit.
Diuersas parteis verbo Syzeugmenon vni Syzeugmenō tribus modis.
Præposito, medio, postpositóue refert.
Dat iustū esse, fides et opus. Bene Christus amatur,
Non mundus. Tenebras sons: probus astra petit.

EPANALEPSIS.

Huc facit & varia eiusdem repetitio vocis: In principio aut fine clausulæ.
Iam datur arrha pijs: iam via læta datur.
Nonnunquam in duplicem simplex oratio transit:
Clauditur aut vno, quæ duo membra tulit.
Crimina te patrare veto: & ne crimina patres,
Subijce quidquid habes, & tua cuncta Deo.
Si vocum mutetur adhæc constructio, sermo Variatio per constructionis mutationem.
Fit varius, res est parua, reiq́; parum.
Indolis est sanctæ puer ille, vel indole sancta.
Vtilius studium quàm iocus atque ioco.
Talia multa docet syntaxis: & apta figura
Sæpe, vt syllepsis, Zeugma, prolepsis, erit.
Rhetoricæ porrò mutatio docta figuræ, Variatio per mutationem figuræ.
Vltimus est, dictum quo variabo, modus.
Non quod significant voces, hæc schemata mutant,
Sermo nec augetur, nec perit ipse situs:
Diuersum ast habitum, affectumq́; oratio sumit:
Luceat exemplis formula quæque datis.

Nil melius studio est, simplex hic sermo futurus.

Intertogatio. Nunc interrogo sic: Quid studio est melius?

Ironia. Scilicet hoc melius quicquam est (Ironicus inquit)

Admiratio. En studio (Admirans) vt melius nihil est.

Adiuratio. Dispeream, melius studio (Adiuratio) si quid.

Dubitatio. Non video hoc melius quid sit (ait dubitans.)

Abominatio. Absit vt esse putem melius quid (Abominor) illo.

Exclamatio. O studium (Exclamo) quo nihil est melius!

Occupatio. Prætereo, studio melius nihil (occupor) esse.

Subiectio. Quid melius studio est? (Subijcio inde) nihil.

Per reliquas magis est rerum quærenda figuras

Copia, perq; omnes multiplicanda locos.

Verborum interea tibi iam porrecta facultas

Exigit, vt quoduis experiare thema.

Thema variandum. Sit velut auspicium: Deus est super omnia amādus,

Prima synonymiæ vis cumulanda tibi est.

COLLECTIO SYNONYMIARVM.

Ut, pater, omnipotens, rex, conditor, atq; creator,

Et sator, & rector rerum, hominumq; Deus.

Præ, super, ante, supra, potius, prius, & magis, & [plus,

Præcipuè, summè, maximè, & eximiè.

Diligo, amo, deamo, amplector, complector amore,

Prosequor, afficior, charus, amator, amor.

Omnia, res omnes, quiduis, & cūcta, nihil nō, [test.

Quid nō? quidquid & est: quidquid & esse po-

Modus componendi. Talibus acceptis primùm, in classesq; redactis,

Confice quot patitur lingua Latina phrases.

Sermo daret plures, magis ornatasq; solutus,

Has tamen, exempli nunc vice, Musa sonet.

DEVS

DEVS EST SVPER OMNIA AMANDVS.

Vnusquisque Deum super omnia debet amare.
Diligere imprimis cuique necesse Deum.
Res super omnigenas Deus est ardenter amandus.
Nil æquè atque Deum prorsus amare licet.
Plus alijs rebus superum vult numen amari.
Res supra cunctas intimus esto Deus.
Nulla Dei res est æquanda licenter amori.
Diuinus cunctis anteferendus amor.
Est homini longè super omnia numen amandum.
Præ cunctis opus est rebus amare Deum.
Quidquid amare potes, diuino cedat amori.
Fac supra quæuis cætera numen ames.
Esse Deus debet nobis in amore supremus.
Nos summum summè numen amare decet.
Ecquid homo inueniet, quod numinis æquet amori?
Res inter cunctas maximè amato Deum.
Cui dubium, quin plus alijs sit numen amandum?
Quis dignum summo nescit amore Deum?
Vincat amor cunctos alios diuinus amores.
Quidquid ames, primas semper habeto Deus.
Grande nefas, si quid pariter, ceu numen ametur.
Esse Deo debet par in amore nihil.
Est operæ pretium reliquis mage numen amare.
Non nisi supremo gaudet amore Deus.
Vt bene numen ames, rebus præpone creatis.
Plus aliquid quàm te nemo creator, amet.
Diligi ab orbe potest quicquã æquè, vt cõditor orbis?
Præcipuo obserua semper amore Deum.
Ante alia æternum debemus amare parentem.
Væ tibi: si quid ames non secus, atque Deum.

Se Deus, & meritò, super omnia poscit amari.
Præcipuus semper numinis vrat amor.
Est opifex rerum magis ipsis rebus amandus.
Quisque Deum primo debet amare loco.
Debetur suprema Deo dilectio iure.
Nil iuxtà atque Deum lex adamare sinit.
Fas aliquid non est, vt numen, amare perinde.
Diligere vt numen nonnihil esto nefas.
Præcipuo nemo frustretur amore Tonantem.
Ecquid homo demens æquet amore Deo?
Rex cæli terræq; potest non maximè amari?
Aeternum debes vnicè amare patrem.
Nullus amor subeat diuino æqualis amori.
Nil æquè amplecti conuenit, atque Deum.
Vult nihil ex æquo rex secum excelsus amari.
Rectè est, quando Dei maximus ardet amor.
Omnipotens rebus sit charior omnibus vnus.
Tantundem atque Deum nil deamare licet.
Inter amata Deo parteis fac esse supremas.
Cætera, quàm superum numen, amato minus.
Aequalem rerum atque Dei quis ponat amorē?
Intima ne sit res, vt Deus, vlla tibi.
Prospice ne quid ames in mundo numinis instar:
Ne sint pro domino chara creata suo.
Pro nihilo ducas præ numine cuncta superno.
Ex pari amare Deum, res aliasq; caue.
Nulla rei species, suus est velut auctor, amanda.
Nunquis amore pari résque, Deúmque colet?
Cælestis Dominus nostro dominetur amori.
Propter se Deum ama: cætera propter eum.
Nil adeò ex animo, vt sanctū complectere numen.
Tantus amor, quantus numinis vllus erit?

Plus

Plus alijs rebus cælestem dilige patrem.
Toto immortalem dilige corde Deum.
Esse Deum charũ reliquis magis omnibus æquũ est.
Diuinæ primus sit bonitatis amor.
Quidquid amas, in amore Deo fac esse secundum,
Se iubet eximio numen amore coli.
Iustitia est, Deus vt summè res inter, ametur.
Vt numen, studio nil venerere pari.
Qui sapit, ille Deum plus se quoque diligit ipso.
Quomodo re quauis non mage numen amas?
Inter res sit cuique Deus charissimus omneis.
Vult sine riuali numen amore frui.
Participare Deus non vult cum rebus amorem.
Particulam cordis vis dare, stulte, Deo?
Omnia quàm numen studio amplectare minori.
Iura Deum summo prosequi amore iubent.
In nostro sit corde Dei dilectio princeps.
Non te aliquid tanquam numen amare pudet?
Numinis vnus amor mensuram respuit omnem.
Dilige feruidiùs teq; tuisq; Deum.
Maxima siderei tibi sit dilectio regis.
Iure alius minor est omnis amore Dei.
Nil dignum inuenies, quod ames, vt numen amicũ.
Fac sit amore minor numinis, omnis amor.
Res rerum artifici prauo quis adæquet amore?
Corda Deo minimè dimidiata placent.
Prosequerísne, miser, diuiso numen amore?
Summi summus amor debet adesse patris.
Res aliquas iuxtà, ac dominum prohibemur amare.
Quisque Dei prima flagret amicitia.
Væ, nisi, quisque Dei super omnia feruet amore.
Pone modũ reliquis: numen ama absque modo.

Proprius esto Deo nostri primatus amoris.
Numinis in nobis sit coryphæus amor.
Vult diuinus amor reliquis sublimior esse.
Iure Deus nostri culmen amoris habet.
Sit Deus humani magnes, atque vnio cordis.
Diuino philtrum dignius esse nequit.
Non amat ille Deum iustè, qui nonnihil æquat.
Non amat ille Deum, qui pariter quid amat.
Præcipuo est nobis dignandus amore creator.
Exæquare Deo fas in amore nihil.
Aequè magna Dei est iniuria, si quid amemus.
Fur est, tota Deo qui dare corda negat.
Integra vis animi diuinum spiret amorem.
Aequandum nihil est inter amata Deo.
Iusta Dei post se dilectio cætera linquit.
Nil licet ex charis æquiparare Deo.
Omnem alium diuinus amor præcurrat amorem.
Inter chara Deo quid simile esse potest?
Communi haud quaquã Deus est contẽtus amore.
Intimus affectus debet adire Deum.
Cui, Deus, æqualem tecum tribuemus amorem?
Ritè scopus nostri numen amoris erit.
Numen summoperè inter cuncta meretur amari.
Ipse Dei primas ferre meretur amor.
Nil patitur secum ex æquo Rex altus amari.
Integer esto Dei, non mutilatus, amor.
Ante alia auctorem vitæ deamare necesse est.
Cuncta panomphæo subijce chara patri.
Pellicibus diuina subest dilectio nullis.
Vis bene amare Deum? nil ita prorsus ama.
Omnia diuino meritò postponis amori.
Diuino reliquus posthabeatur amor.

Quidquid diligimus, præponere numen oportet.
Postponenda Deo, quæ tibi cunque placent.
Cælicolûm regi bene nil præfertur amatum.
Omnia præcedat numinis vnus amor.
Numinis æquus amor reliquos supereminet, anteit,
Præcellit, præstat, præminet, atque præit.
Nil præuertendum æterni duc patris amori.
Principis excellat cuncta regentis amor.
Fac alij diuinus amor præpolleat omni,
Transuolet, antestet, vincat & exuperet.
Est nobis hominum ac rerum sator vnicè amandus.
Vnicus vnius vult amor esse Dei.
Sit tibi perpetui dilectio prima monarchæ.
Sit cordi, quantum res tibi nulla, Deus.
Sit colophon, radix, fundamentumq́ꝫ, basisq́ꝫ.
Diuinus nobis omnis amoris amor.
Nulla tibi tanti sit res, quanti ipse creator.
Nil tota dempto dilige mente Deo.
Nil leue non duci præ numine debet amando.
Si quid ames æquè ac numen, iniquus eris.
Impius es, nisi numen ames super omne quod extat.
Præ bonitate Dei quid mihi dulce sapit?
Numen ama quàm res alias impensiùs omneis.
Quàm quiduis aliud numen amato magis.
Regem habeas cæli cunctis adamando priorem.
Sit superûm princeps inter amata prior.
Fac sit amore Dei tibi res ingratior omnis.
Sit tibi supremo vilius omne bonum.
Ecquid in orbe boni est summi vice patris amandũ?
Sic quid amem, vt cælum qui regit atque solum?
Nil æquè est homini, fons atque salutis amandum.
Hei mihi pro summo iudice num quid amem?

Ni dominum mūdi super omnia diligis, actum est:
Regis olympiaci pectore regnet amor.
Vt moderatorem rerum quid amaueris æquè?
Quidquid amas, infra numen amare velis.
Rebus amabilior Deus est quotcunque creatis.
Præcipui omnipotens munus amoris amat.
Quidquid amare voles, post numē ametur amatū:
Ecquid vt immensum numen amare libet?
Diuino nullius amor certabit amori.
Numinis antestet, quidquid amabis, amor.
Congruit, vt cunctis opifex prælatus ametur.
Summus amandorum sit tibi numen apex.
Nulla perinde meum res, vt Deus, optet amorem.
Patris amor superi nescit habere parem.
Affectu nihil vt numen complectar eodem.
Tam nihil optatum, quàm Deus, esto mihi.
Dulcior esto Dei toto dilectio mundo.
Chara tibi omnia, sint inferiora Deo.
Numen amore tibi summo propone colendum.
Stet summo omnipotens inter amanda loco.
Quidquid ames, minus esse Deo tibi noris amandū.
Vult ratio, eximius numinis vt sit amor.
Iura volunt, vt sit Deus vltra cætera charus.
Tantum aliud quantum numen amare nefas.
Quātūuis quid ames, Deus est super illud amādus.
Sit prior ac potior re, genus omne, Deus.
Inter amandorum series Deus occupet arcem.
Præ Dei amicitia fecero cuncta iocum.
Tam tibi sit charus vita dator, vt nihil æquè.
Omnia fac inter chara sit Alpha Deus.
Sit tibi præcipuus mundi fabricator amicus.
Nullius æquè sis, atque Tonantis amans.

Te iubeo imprimis studiosum numinis esse.
Vult oculis homini charior esse Deus.
Lucis inaccessæ quàm istius amantior esto.
Nemo Deum atque aliud curet amore pari.
Numen ad æternum affectus primarius ito.
Fac pluris, quàm sit quidquid in orbe, Deum.
Primus amatus o vitæ numerabitur auctor.
Exquisitus amor numinis esse cupit.
Cælituum regem studio complectere summo.
Tu charum supra cætera numen habe.
Naturæ nihil æternæ contendat amori.
Prô pudor, vt numen quis, quid amare potest?
Nil tanti facias, quanti nutu astra mouentem.
Prosequere affectu nobiliore Deum.
Debetur summo dilectio summa parenti.
Cætera præ domino sint odiosa tibi.
Vendicet omnipotens nostrum sibi primus amorem:
Nil adeò gratum, numen vt esse decet.
Quisquis amare Deum bene vis, postpone nihil nō.
Est natura Dei summo adamanda gradu.
Da regi æthereo parteis in amore priores.
Re quauis pluris conuenit esse Deum.
Esto Dei potius quàm orbis totius amator.
Congruit eximio numen amare modo.
Omnibus est rebus rerum magis auctor amandus.
Nulla non re homini suauior esto Deus.
Postpositis alijs diuinum amplexer amorem.
Posthabitis cunctis rebus amere Deus.
Nemo creatori non primum impendat amorem.
Nil itidem vt numen fas sit amare mihi.
Quicquā tam cupidè quàm numē amare vetamur.
Quid non Rege poli par sit amare minus?

Dignus amari, vt ametur, amore, qui ametur, ama-
Est Deus imprimis, cætera digna minus. [tu,
Erga te, alme pater, summo inflammemur amore.
Res sit nulla ac tu grata perinde, Deus.
Cultor amicitiæ, vt diuinæ, nullius esto.
Diuinam ante alias excole amicitiam.
In grauiore Dei sita sit dilectio lance.
Momentum nullum maius amore Dei est.
Frigeat omnis amor cælestis amoris ad ignem.
Diuini ad pondus, pluma sit omnis amor.
Empyreum cælestis amor transcendat olympum.
Quæ summi illecebra est maior amore Dei?
Sic quid amẽ, vt propriæ proram puppimq́; salutis?
Omnis vt auctorem, quid volo amare rei?
Viuifico fonti insuaueis compono lacunas?
Aeternum tenebris assimilabo iubar?
Diuino temerè quis amorem comparet vllum?
Vis conferre pari stercus amore, Deo?
Obstupeo, si cui Deus haud re charior omni est.
Scilicet, æquè adamem nonnihil atque Deum.
Sic me amet ipse Deus, summo est vt dignus amore.
Haud scio, quid iustè numinis instar ames.
Prô scelus, vt rerum dominum rem diligis vllam?
Absit, vt æquipares quid tibi dulce Deo.
Dicere non opus est, nihil esse vt numen amandum.
Quænam res tandẽ est maximè amãda? Deus.
Vt semel absoluam, Deus est super omnia amandus.
Quilibet ergo Deum quomodo debet, amet.
Sed mihi verborum sola est heu Copia: Rerum
Desit adhuc, vt des hanc quoque Christe, rogo.

DE

DE RERVM COPIA

LIBER SECVNDVS.

IAM tibi ne folijs verborũ oratio pulchris
Luxuriet, rerũ fructibus orba bonis:
Schematibus res quæque suis varianda vicissim est,
Materia & grauidis elicienda locis.
Imprimis compressa breui sententia summa,
Latiùs in parteis distribuenda suas.
In genere(exempli causa)si dixerit alter:
Ille bonis studijs deditus vsque fuit:
Perspicuo ætatis tibi cunctas ordine parteis,
Virtutes,artes,enumerare licet.
Adde grauem studij noctuq́; diuq́; laborem,
Redderet vt pensum qualibet hora suum.
Quod nihil illecebris,somno contentus,& esu
Permodico,dederit: quàm nihil ille iocis.
Heluo librorum,doctorum auditor amicus:
Florilegæ solers,ac celer instar apis.
Condere thesauros,& in vsum promere gnarus,
Facunda lingua,splendiduloq́; stylo.
Tum mores hominum cernensq́;, legensq́; notabat,
Dotibus eximijs pectora docta replens.
Hæc signare sat est:tu singula fusiùs ede.
Fac tamen, vt varius tædia sermo leuet.
Dein quasi fessus,adhuc vndantem claudere riuum,
Te simulans,strictum profer,vt antè,genus.
Nec minus & totum partiri in frusta decebit:
Vt totum si quem dixeris esse bonum.
Membra per, & sensus omneis,animiq́; recessus
Discurrens,proprium collige cuique decus.

Diuisio, partitio, seu enumeratio partium.

De hoc infrà in expolitione.

Hæc propriè partitio dicitur:generis verò in species dicitur diuisio.

Enu- ...tio.

Subiectum vocant. *Enumeres itidem quod subiecto accidit omnĕ.*
Vt res esse bonas dic prius atque malas:

Scholæ materiam. *Deinde bonum triplex dices suaue, vtile, honestum:*
Et sortem, mentem; corpus habere suum.

Additio generis ad speciem. *Quin vbi de specie loqueris, genus additur aptè:*
Vt sit dicendum: fœda libido nocet.

Ordo partiũ. *Dic ita: cùm vitijs damnum sit ab omnibus ingẽs:*
Imprimis homini fœda libido nocet.
Mox superest, si quas habet hæc, percurrere partes.
Nam species in se nonnihil omnis habet.

Enumeratio antecedentiũ quæ factum aut rem antecedunt. *Dum porrò enumeras, partiris, diuidis: vnquam*
Ne facilis desit partibus ordo, caue.
Altera ditandi ratio sermonis habetur,
Si cum re, per quæ res fuit acta, refers.

Enumeratio causarum. *Altius at causas memoranti, tertia surget.*
Enumeratio consequentium vel concomitantium rem ipsam. *Quarta, quod insequitur vel comitatur, habet.*
Exemplum esto, genus Christus *mortale redemit.*
Dic causam: cecidit primus vterque parens:
Nullus & amissam poterat reuocare salutem:
Donec amanti homines sit caro sumpta Deo.
Hinc promissa Dei, & tales præiere figuræ:
Ac legem vates præcinuere nouam.
Subde redemptoris partum, vitamq́ decentem,
Quodq́ peregit opus, quod pretiumq́ dedit.
Quomodo supplicijs diris, probrisq́ nefandis
Affectus mortem vicerit atque stygem.
Conscensum victor nobis patefecit olympum:
Auxiliisq́ datis, quos iuuat ire, trahit.
Hæc breuia immenso poteris diffundere campo:
Singula per proprios si meditere locos.

De his infrà. Energia. *Res quoque ceu pictas habitu si prodis aperto:*
Acris Energia *formula quinta tibi est.*

Natu-

Natura hanc bene nota, hanc circunstantia rerum,
Dictio conueniens, apta figura facit. Fit ex 4.
Præcipuè dum res, personas, tempora pingis, Est quadruplex descriptio rei per hypotyposin.
Et loca: quæ propriæ quatuor artis egent.
Cuncta rei simulachra refert hypo, dicta typosis,
Siue est, seu gesta est, seu quoque ficta fuit.
Sic multa historicus: sic multa celebria vates,
Horrida sic tragicus nuntius acta refert.
Sic & diluuium, pestis, venatio, bellum,
Ebrietas, ludus, bos, fera, planta, ratis.
Denique res omnis quantumuis parua, leuisq́;,
Si bene describas, magna grauisq́; mouet.
Præuia nec solùm, coniuncta, secutaq́; dicas:
Verùm produci quidquid & inde potest.
Vt si dissuades vxorem ducere, monstres
Quæ mala, quot curæ, quanta pericla ferat.
Huc simile, oppositū, translatio: quotquot & ipsum
Sermonem illustrant, Schemata crebra valent.
Personam quòd si cupias depingere certam, Descriptio personæ. Προσωπογραφία, vel προσωποποιία.
Vnde prosopographi nomen habere potes:
Vt domini, serui, regis, lurconis, auari,
Ostentatoris, militis, atque ducis.
Quotquot & humanis discrimina moribus insunt:
Qualibus exemplis comica scena scatet.
A patria primùm sumenda notatio: sicut
Perfidus est Pœnus, trux Geta, cautus Iber.
Quisque ferè patrij retinet contagia cæli;
Gentis & obseruat propria signa suæ.
Collige dein quidquid producere, sexus, & ætas,
Fortuna & studium, mosq́;, physisq́; solent.
Mas grauior, iuuenis præceps, diuesq́; superbus:
Miles atrox, audax latro, benigna parens.

Corpo-

Corporis atque animi motus, habitusq́; vel omneis;
Vel quos materies poscit & hora canes.
Nunc affectus adest lenis: nunc acrior vrget:
Vt si quem exagitat spes, metus, ira, dolor.

Decorũ etiam in fictis personis.

Præcipuum semper seruare memento decorum:
Sit persona licet non, nisi ficta tibi.
Sint charites lepidæ, virtus grauis, hæresis effrons,
Stultitia instabilis, pax placida, ira fremens.

Apologus, de quo infrà.

Fabellas etiam Aesopi si more recenses,
Res quod habet proprium qualibet, antè notes.
Nec minus absentem referens, aut lumine cassum,
Fac animus, species, actio, sermo quadret.

Descriptio loci. τοπογραφία. Τοποθεσία.

Adde topographiam, facies qua picta locorum
Cernitur: vt montis, littoris, vrbis, agri.
Sin loca describas non vera, vt tartara, famæ,
Inuidiæq́; domos, fictio dicta loci est.

Descriptio temporis.

Pinge loci cuiusque genus, formamq́; situmq́;,
Quod natura, quod ars, sors quod & vlla dedit.

χρονογραφία

Perq́; chronographiam tempus tractatur: vt æstas,
Ver, aurora, dies. Proprietásque datur.

vt Saturnalia.

Res quoque tẽpus erũt quædã: vt vindemia, messis,
Iustitium, bellum, paxq́;, diésque sacer.
Ne morer: Auctorum te mille exempla docebunt,
Quòd sit Energiæ forma quaterna potens.

Digressio, quæ & egressio & excursus dicitur. παρέκβασις.

Sexta fit excursis obiter Digressio rebus:
Quæ causam, quamuis sint aliunde, iuuant.
Vt laudet vel vituperet, vel Rhetor vt ornet,
Vt delectet, vt & præparet: istud agit.
Præstat energia hoc quadruplex: hoc fabula præ-
Hoc & communes amplificando loci. [stat:

Materia digressionis.

Oblata, hæreticos vt si, dum criminor, ansa,
In detestando carnis amore vager.

His

His nihil vtilius: χρεῖαι idcirco vocarunt, — χρεῖαι sunt loci cōmunes & sententię, de quibus infrà.
Qui super his iustos composuere libros.
Porrò hæc principio dicendi excursio quadrat,
Vel fini: auditor dum recreandus erit.
Nonnunquā & mediū, & partē quācunq; tenebit: — Quando digrediendum.
Seu res obtulerit, tædia siue leues.
Septima fit quoties cum nomine dictio iuncta est, — Epitheton poteſt eſſe etiam nomen ſubſtātiuum.
Quæ decus, aut vitium notitiámue gerat:
Talia dant animus, corpus, sors: denique quidquid
Rebus inest, vel adest, attribuíue potest.
Afficitur Christus crudeli morte redemptor,
Humano vt generi regna beata paret.
Iudæus populus cæcus, miser, impius, excors,
Christi occisor, atrox, exul, auarus, inops.
Intempestiuum ne quid fere, ne quid ineptum,
Liberior quamuis esse poëta velit.
Octauam methodum dat circunstantia: quæ rem — Circūstantiæ, περιστάσεις. 4. officia.
Amplificat, minuit, detegit, atque probat.
Circunstant persona, locus, casus, numerusq;,
Auxilium, tempus, organa, causa, modus, — Alij paucioresponunt.
Personæ, nomen, patria, & natura, genusq;, — Notæ personarum.
Sors, studium, mores, facta notanda tibi.
Materia, efficiens, finisq;, & forma vocantur — Causæ quatuor principales.
Præcipuæ causæ, fit quibus absque nihil.
Effectrix est causa Deus, natura, voluntas, — Efficiens.
Fortuna, & casus: iungitur hisce iuuans. — Adiuuans.
Distingues alibi quæ causa sit intus & extrà:
Cogens, nécne, procul vel propè: sola, comes. — Aliæ differentiæ.
Membra peristaseon reliquarum propria mitto.
Ni pateant per se, Rhetores illa docent.
Nona locupletans ratio amplificatio fertur: — Amplificatio rerum, non verborum, vt suprà
Quatuor in formas quam secuisse placet. — Species quatuor.

Nan-

Nanque incrementum ſic auget ſingula ſenſim,
Incrementum prima. *Vt ſummum attingas exuperéſue gradum.*
Chriſtum negligere inſanum, ridere ſceleſtum,
Percutere horrendum: quid lacerare crucem?
αὔξησις. *Oppoſitum facio dum comparo, deq́; minori*
Duco incrementum: duplice fit q́; modo.
Comparatio fit dupliciter. *Fictio ſit maius, deducit non fero Turcam;*
per fictionē, ὑπόθεσις, *Talia ſi peccet: Chriſtigenámne feram?*
per collationē exempli. *Aut erit exempli collatio. Seruus id egit*
De exemplo per omnes locos tractando infrà. *Compulſus: dominus compulit: hoc grauius.*
Ni gradus efficitur maior, ſit proximus, aut par.
Latior ex multis forma fit iſta locis.
Ratiocinatio, tertia. *Amplificans autem quoties ratiocinor, vnum*
Augeo ſic, aliud creſcat vt inde magis.
Vaſtus homo, ferus atque furens percuſſit inermē:
Ex iis colligitur quàm grauis ictus erat.
Aut aliud magis aucturus, minuo prius auctum.
Sunt grauia iſta quidem, ſed nihil ad reliqua.
Congeries 4. συναθροισμός. *Congerie amplificat ſenſu qui fundit eodem*
Verba & res varias: de quibus antè ſatis.
Vt Deus eſt ſummè clemens, bonitatis abyſſus:
Fons pietate ſcatens: ſummus amoris apex.
Quatuor eſt igitur res amplificanda figuris:
Totidem ſpecies extenuationis. *Et totidem contrà eſt extenuanda modis.*
Sed detrimentum dicetur, quando gradatim
Quid minuo: in reliquis nomina dicta manent.
Propoſitionū multiplicatio. *Lex decima eſt protaſes cauſæ conquirere multas*
Rhetoricas, ratio quas ſua deinde probet.
Hic valet ingenium, iuris prudentia, mores,
Vſus, & auctores, ars imitata frequens:
Cognitioq́; rei, quam viſa periſtaſis affert:
Et quæ de ſtatibus Rhetores apta docent.

Nam ſtatus eſt protaſis prima & ſummaria cauſæ: Status.
Quæ reliquis debet proprius eſſe ſcopus.
Cauſæ quodq; genus proprios habet, vtile, honeſtũ,
Ac iuſtum, & ſimiles oppoſitóſque locos. Loci proprij generis demonſtratiui delib. & iud.
Sunt igitur multæ protaſes hinc inde petendæ:
Argumenta quibus ſubijcienda pares:
Harum ſunt aliæ ſumptæ ex communibus: hoc eſt, Propoſitiones ex communibus.
Diuerſas cauſas quæ ſtabilire queunt.
Sunt aliæ cauſæ ex proprijs: quæ nempe cohærent Ex proprijs.
Sic cauſæ huic: alijs vt ſupereſſe negent.
Eſt generalis adhæc protaſis generalia dictans: Propoſitio infinita θέσις.
Res indiuiduas particularis habet. Finita ὑπόθεσις.
Expedit vxores duci: generale fatebor.
Expedit ergo mihi: particulare nego.
Ne protaſes multas confuſio multa ſequatur:
Fac bene diſpõnas: eſt opus arte tamen.
Quatuor imprimis, aut tres propone ſupremas: Ordo propoſitionum.
De quarum gremio turba minuta ſalit.
Præuia ponet eas aptè diuiſio: deinde Id eſt, vt poſteriora ſemper vim habeant maiorẽ, & à prioribus nõ pendẽtem, ſi contingeret hæc labefactari.
Cuique ſuas reliquas commodus ordo dabit;
Quæ quam introducat, rerum natura monebit:
Sin minus, vtendum tranſitione tibi eſt.
Sic etiam protaſes atque argumenta locentur:
Vt ſtet poſterius: ſtet niſi fortè prius.
Vt bellum primò penitus contendo cauendum:
Dein bellum hoc, tali tempore, ſorte, loco.
Adde etiam fictas protaſes ſi cuncta fauerent. Fictæ propoſitiones.
Vitandum eſſet adhuc: quid modò quãdo nocet? Nam propoſitio propriè eſt cui ſubijcitur ratio: ſed nihil vetat eſſe rationem alterius ſuperioris.
Molem incredibilem ex illis oratio ſumet,
Argumenta ſimul dum ſua quæque trahit.
Nec tamen vt protaſes, cunctas efferre neceſſe eſt:
Poſterior ratio ſæpe prioris erit.

Sit thema propositũ: super omnia Christus amãdus.
Collige sic protasis, pronus vt ordo fluit.

Propositio principalis.
Quisque bonus, iustus, sapiens est dignus amari.
Præminet vt Christus, debet & huius amor.

Propositio generalis.
Mutua debetur cuiuis dilectio: Summè
Christus amat: summo debet amore coli.
Pro meritis est quisque suis in amore tenendus:
Maxima sed Christi nos benefacta ligant.

Propositiones vice rationum & ex præcedente productæ.
Cùm nihil essemus, nobis dedit esse creatis.
In quibus & præstans eius imago nitet.
Subdidit & totum charis mortalibus orbem,
Commoda quot vitæ, munia quanta dedit.
Iam satis ista probant Christũ super omnia amãdũ:
Sed ratione alia non leuiore liquet.

Propositio.
Iure sibi præfert pars totum obnoxia: membrum
Vt corpus, ciues, vtq́ idiota suos.
Nos atomis similes Christi in virtute mouemur,
Sentimus, sapimus, viuimus, atque sumus.

Transitio. Propositio generalis.
Sint nihil hæc. Quicunque alijs incommoda fallit:
Vt magna extiterant: dignus amore pari est.

Particularis seu assumpta.
Christus ab horribili sceleris nos peste redemit.
Tartareiq́ reos seruat ab igne lacus.
Præterea seruans alios plus debet amari:
Quò labor aut damnum durius inde venit.

Propositiones fictæ.
Si pro Rege latro rapidæ sese obijcit hastæ;
Damnatum aut socij liberat ære caput;
Nónne suam hunc illi vitam debere fatendum est:
Ac illum vita plus redamare decet?

Propositio assumpta.
Pro latrone Deus mortem expectante perennem,
Diram est, ah, nimio passus amore crucem.

Propositio ficta.
Si dominus seruo facilem se dedat in vsum:
Charius hic illo debet habere nihil.

Chri-

Christus at ipse hominū ac celsi dominator olympi, Assumpta.
Vermiculi sacrum se dat in ora cibum.
Denique præcipuo studio obseruaueris illum, Generalis.
A quo præcipui spes tibi certa boni est.
Vitam immortalem, cælestia regna, beatam Assumpta.
Lætitiam Christus vult dare, si quis amet.
Adijce nunc alias ditandi ad singula formas:
Vix credas quantum perficietur opus:
Quanquā argumentū sumptū est omni altius arte,
Quod nunquam exornes, amplificesq; satis.
Undecimum caput est rationes cogere, siue Probationum accumulatio.
Argumenta, quibus singula dicta probes.
Nam protasin multis firmas rationibus vnam:
Et rationis adhuc fit ratione fides.
Est interna, vel est externa probatio, quarum Propositionū 2. genera.
Pendet ab arte prior, posteriorq; fugit.
Hanc præiudicium, iusiurandum, tabulaq;, Externæ à testimonijs.
Tormentum, testes, pactio, sermo parit:
Illam signa creant: τεκμήριον vnde necessum est. Internæ à signis.
Rem dare σημεῖον, quando probabilis est. Signum duplex.
Credibile aut εἰκὸς, propensum, nónque repugnans Loci rhetorici.
Adiungit Fabius: nam fit & inde fides.
Hæc porrò indicijs ex circunstantibus hauri Signa à circunstantijs.
Persona, atque rei quæ patuere, suprà.
Personæ genus est, sexus, gens, patria, nomen, Circunstātiæ personæ.
Nutrimenta, habitus corporis atque animi:
Dehinc ætas, sors, conditio, affectatio, motus,
Consilium, studium, dicta vel acta prius.
Estq; rei, causa, instrumentum, occasio, tempus, Rei.
Quod post, ante, simul, vis, locus, atque modus.
Rursum vtare locis causæ communibus omni, Loci dialectici.
Argumentorum pullulat vnde seges.

Primus erit finitio seu descriptio rerum.
Deinde etymon, species, & genus, & proprium.
Quod differre facit, pars, totum, principiumq́;,
Summa incrementum, dissimile ac simile.
Quod præit & sequitur, cõtraria, quaúe repugnãt,
Atque relatiuum, quæq́; iugata vocant.
Causæ multiplices, effecta, euentaq́;, necnon
Quod maius, quod par comparat, atque minus.

Fictio in locis.
Adde, locus quòd sit communis fictio multis:

Propria causæ.
Ex proprijs causæ denique crescet opus.
Restat vt experiaris, & ostia singula pulses,
Assiduus magnas congregat vsus opes.

Exemplum παράδειγμα.
Præminet exemplum, à maiore, minore, pariq́;,
Opposito, simili, dissimiliq́; datum.

Exempli apud oratores vsus.
Si laudo, si vitupero, probo, solor, & hortor,
Cõsulto, moueo, mulceo, semper adest.
Quare exemplorum vis magna paretur, & adsit
In promptu: & varia sub ratione manent.

Exemplum propriè & latè sumptum: Vt fabulæ, apologus, prouerbium, iudicia, parabola, seu collatio, imago, & analogia; de quibus deinceps.
Nam propriè exemplum facti est narratio prisci:
Seu res gesta fuit, seu quasi gesta sonat.
Multa per exemplũ nũc cõprehendũtur, & ornant,
Illustrant, augent rem, faciuntq́; fidem.
Exemplum varium dicta antè vel acta ministrant,
Et quicquid moris natio gensúe tenet.
Historici, tragici, comœdi, alijq́; poëtæ,
Theiologus, sophus & quisque, librique sacri.

Vnde exemplorũ varietas petenda.
Et diuersa rei ratio, vt bellique, domique;
Virtutis, vitij, temporis, atque hominis.
Collige rumores quoque vulgi: & Græca, Latina,
Barbara postremò, quod monumenta dabunt.
Plus antiqua mouent, præclara, domestica mentem,
Quàm reliqua. Accipiat plurima quisque locus.

Ad-

Adijcit ingentem exemplis tractatio molem:
Ni breuiter properans illa citare voles.
Scilicet imprimis factum laudetur, & auctor,
Vel gens, vel scriptor cui sit habenda fides.
Vt locus exposcit plus hic insiste, minúsue.
Pluris, at exemplo, quod fauet illud habe.
Insuper exemplum fusè enarrare licebit,
Atque perornatus amplificare suos.
Vt, patriam in terris nego si mortalibus esse;
Exemplo insinuans hoc Abrahame tuo:
Commendo historiam primum diuinitus haustam:
Hinc genus: & supero nomen ab ore datum.
Laudo fidem, qua tu patriamq; genusq; relinquis,
Et vagus ignotum conficis exul iter.
Vtq; (licet locuples) tentoria semper amâris:
Ac tumulum præter, nulla sit empta domus.
Quàm magno arderes patriæ cælestis amore,
Eius habens arrham, primitiasq; probans.
Nec secus exemplum, pariet quod fabula, tractes:
Res tibi seposito si qua docenda ioco est.
Extiterit veterum sapientia quanta virorum,
Vera per illecebras qui docuere, mone.
Historicam, Physicam, moralem, theiologámue,
Ficto allegoriam fare subesse loco.
Vt victa hydra rogis, vt Palladis ortus, vt artes
Circææ, vt Protei multipla forma probant.
Icarus & Phaëthon, Salamoneus, atque Gigantes,
Ne supra sortem quid meditere, vetant.
Fulmine Bacche flagrans, nympharũ & missus in [vndas,
Nos vini lymphis vim moderare iubes.
Hinc virtutis iter scylla obsidet, inde charybdis:
Vincla voluptatis lotus amata notat.

Exempli tractatio.

Secundus modus tractādi.

Hæc habentur in lib. Genes.

Tractatio exempli fabulosi.

Quartum allegoriæ genus in fabulis.

De Lerna palude hist.

De sapientia.

De vitijs.

De Deo in rebus.

De vitijs inter quæ sita est virtus.

Lotophagis.

Noxia Sirenum cantu assentatio nota est.
Taxat auaritiam Tantalus, atque Midas.
Virtutum Herculei commenarint facta labores.
Damnat Vlyssæus crimina fœda comes.
Talia multa sagax arcani interpres Homeri
Eustathius, sophiæ symbola prisca refert.
Historiam vates etiam narrare videntur:
Vt Pyladis quantus, quantus Orestis amor.
Personę fictę. *Aut in personis fictis res lucet: vt aten,*
Et famam, atque liten, inuidiámque canunt.
Explicat humanos comœdia ludicra mores,
Mores in tragicis bucolicisq; vides.
Mores monstrat apis, formica, ciconia, turtur:
Morum exempla tibi res propè nulla negat.
Tertius modus locupletandi exẽpla. Parabola seu ὁμοίωσις, & collatio Cic. *Tertia iam ratio tractandi exempla sequatur:*
Siue his historia est, fabula siue parens.
Præbet homœosis (tibi quæ Collatio, Tulli, est)
Exemplum simili, dissimili, opposito.
Est simile: vt veluti cantus vitauit Vlysses,
Sirenum illecebras, si sapis, ipse fugis.
Dissimile: vt, non legis opus, veterisq; nouaq;
Est simile, illud enim dat timor, istud amor.
Oppositum, vt vitam mortalibus abstulit olim
Vnus homo: vitam reddit & vnus homo.
Comparatio siue contẽtio. *Comparat exemplum contentio: monstrat vt esse*
Proposito maius, párue, minúsue dato.
Maius: vt is, genitum nobis qui donat Iesum,
Quomodo non pariter cætera cuncta dabit?
Par verò: vt, misero cùm parcas Christe latroni:
Sum miser haud aliter quàm latro: parce mihi.
At minus: vt, qui pastor ouem fers sæpe requirens
Errantem: errantẽ fer quoque Christe gregem.

Per-

Personæ atque rei spectanda peristasis omnis:
Vt conferre sibi singula ritè queas.
Deinde opportunis verbis vti, atque figuris,
Augeri aut minui quidlibet, artis erit.
Copia siq; velis vt sit quam maxima: partes
Quàm cunctæ similes, dissimilésue, doce.
His epiphonema, his aptè sententia passim
Additur, exemplo collige dicta breui:
Christi equidem quoties cultorem cerno fidelem,
Qui spretis terris concitus astra petit,
In mentem venit ille Bias: quem iure recenset
Inter Athenæos Græcia prisca sophos.
Iam non miror ego, quòd præesse putata sit illic
Pallas, vbi tales enituere viri.
Ille igitur (quod certa ferũt monumẽta, quod omnis
Posteritas memorat, quod plaga quæque canit)
Cùm patriam hostilis cepisset turma Prienen:
Fásq; asportatis esset abire bonis:
Spectabat ridens cunctos ruere vndique ciues:
Perq; vias humeris pondera ferre suis.
Non puer, aut iuuenis, matrona, puella, senéxue
Egreditur, quem non sarcina magna grauet.
Pars cadit vni oneris: leuat anxius, alter anhelus,
Ac sudans plorat multa relicta domi.
Solicitos inter strepitus, durosq; labores
Vultu hilari vacuus cernitur ire Bias.
Quærenti cur sic, Mea porto (ait) omnia mecum:
Scilicet extra animum nil ratus esse boni.
An non Christus idem docuit? Christi ecce fidelis
Assecla se nulla mole grauatus agit.
Mundana ex patria, quam plurimus occupat hostis:
Virtutum diues, lætus & acer abit.

Collatio ab omnibus circunstantijs.
Collatio singularum partium.
Propositio fidelis Christiani, qui mundum spernit. Exemplum.
Commendatio ab auctore & ciuitate.
A fide histor.
Narratio fusiùs explicata cum circunstantijs nonnullis.
Hypotyposis.
Epiphonema cũ sententia.

Vel ridet vel plorat eos, qui pondere curui,
Ad styga quòd nequeant tot bona ferre, gemunt.

A simili. *Vtrique est similis sapientia, vultus, & actus:*
Dissimilis quamuis causa sit, atque scopus.

A dissimili. *Ille vel inuitus patria cariturus abibat:*
Hic patriam quæ vult blanda tenere, fugit.

Contentio à minori. *Ille suos potuit secum abduxisse parentes,*
Hisq́ frui: totum deserit iste genus.

Propago celebreis tunc fortè petebat Athenas:
Hic nullam toto quærit in orbe domum.

Sententia. *Quippe scit exilium terras debere vocari:*
Et patriam supero nouit in orbe sitam.

Rursus at optantem sese conferre Bianti,
Non æquare modò, sed superare decet.

Dissimile à fine. *Nam, cùm laus humana foret tunc vnica merces:*
Maius opus, superum gloria danda petit.

Contentio à maiori. *Sin par aut minus est: erit hoc præstantior ille:*
Quòd neque spes talis, vis neque tanta fuit.

A minori rursus. *Naturam ille ducem est cæcam, claudamq́ secutus:*
Nec nisi virtutum debile robur erat.

At tibi dux Christus, tibi lux diuina, vigórque:
Vt superes omneis absque labore sophos.

Dissimile. *Exemplo ille suæ virtutis fortè carebat:*
Trita via innumeros te præiisse monet.

Aspice Chaldæi vestigia longa prophetæ,
Patria cui, præter sidera, nulla fuit.

Quid memorē innumeros secū sua cūcta ferentes?
Scilicet admissum corda sub ima Deum.

Sententia. *Insani est hominis terram præponere cælo:*
Dum nihil è patria ferre Bianta videt.

Epiphonema. *Prô pudor, Athletæ Christi conferre Biantem?*
Sit tamen exemplum, sit stimulusq́ Bias.

Hæc

Hæc quaſi puncta dedi, præſcripta vt forma pateret, Parabola hic pro ſimilitudine ſpecie exempli.
Amplius ingenio magnificanda tuo.
Nec proprio ſolùm exemplo tractatio talis
Conuenit, humanum quo recitatur opus.
Sed quoties etiam ſimili (para quod bola Græcè eſt) Differentia exempli propriè dicti, metaphoræ, allegoriæ, & parabolæ.
Vteris à rebus: vox vbi, ménſque deeſt.
Naufragium vitæ caueas, tranſlatio ſola eſt.
Vis allegoriam? naufraga ſaxa fuge.
Vis ſimile? vt metuit furibundos nauita ventos:
Sic vitæ iſtius dira pericla caue.
Dilatare cupis? ſæuas deſcribe procellas: Dilatatio parabolæ.
Quidquid & in vaſto gurgite triſte cadit.
Deinde per humanam totidem diſcrimina vitam
Collige conformi quæ ratione meant.
Nauta tibi eſt animus: corpuśq; ſolubile, nauis:
Conatus, remos: votáque, vela voces.
Tráſtra, foros, prorã, puppim, malũ, atque rudẽtes,
Senſibus, & membris æquiparare potes.
Ceu mare mundus erit: mundana negotia fluctus:
Venti diſſidium, vis, dolor, atque metus.
Piratæ, ſcopuli, ſirenes, ſcylla, charybdis,
Et breuia, & ſyrtes certa pericla notent.
Nox, ærumna, polus Deus eſt, ſolertia, magnes:
Tyndaridæ, bona ſpes: ancora ſacra, fides.
Nauſeaq;, horror erit mundi: iacturaq; damnum:
Naufragium, exitium: portus, adepta ſalus.
Iam quid diſſimile, aut diſpar hic adſit, & illic Contentio à diſpari, & collatio à diſſimili.
Diſcute: Rem verbo ſit tetigiſſe ſatis.
Omne malum iocus eſt illud: confertur vt iſti:
Porrò hic abſque ſuo crimine nemo parit.
O felix placido qui dirigit æquore curſum: Epiphonema cum ſententia allegorica.
Sedat & arbitrio flabra fretumq; pio!

Non rarò exemplis, velut hic, proportio iuncta est,
Quæ parteis monstrat partibus esse pares.
Vt dum sancta refert humanum ecclesia corpus:
Cui caput est Christus: nos sacra mẽbra sumus.
Auris hic, ille oculus: pes aut manus vnus: & alter
Pars alia: illa quoque est, vt bene structa domus.
Est vrbs, est acies, est vinea, campus & hortus:
Particulas similes siquis vtrinque legat.
Sic statua horribilis Chaldæo visa tyranno,
Disparibus membris regna futura notat.
Imago εἰκὼν, parabolę affinis.
Est alia exempli species, quæ dicitur Eicon,
Sit quia collata sicut imago rei.
En Satanas tanquam frendens leo circuit, vt nos
Deuoret. Hora fugit more fluentis aquæ.
Semper imago potest fieri collatio: si quis
Explicet, vt fluuius, sic leuis hora fugit.
Inductio.
Exemplo ac simili confert inductio multum
Addita: præsertim si facienda fides.
Vt, Quid Alexandro superatus contulit orbis?
Inuidiam præter letiferámque dapem?
Quem retulit fructum dominata Cæsar ab Vrbe?
Vt citius diram ferret & ipse necem.
Quid Marius, quid Sylla, quid innumerabile regũ
Præmij ab oppressis gentibus agmen habet?
Aut periere malè, aut vitam vixere molestam:
Vt cui discrimen, crimen & omne comes.
Præstat quenque sua contentum viuere sorte:
Quàm tot in ærumnas ambitione rapi.
In similitudine.
Fac itidem in simili, vt si vis monstrare, bonorum
Quòd meritis operum perficienda salus.
Dat natura quidem gignendis semina plantis,
Sed pinguem crescens plantula sugit humum.

Om-

Omnia ſunt ſortita ſuos animantia paſtus:
Eſt ſuus vt quærant, percipiantq́ labor.
Angelus omnis erat primæuo labilis ortu:
Nec data ni culto gloria plena Deo.
Primus vterque parens inſons non antè beandus:
Obſequio meritus quàm patiente foret.
Aut homini ergo bonũ per opus dat gratia palmam:
Ipſe ſui aut ſimilis deſiit eſſe Deus.
Eſt generalis item contentio, Confero ſi quas
Perſonas, aut res, laude probóue notans. Contentio in genere demóſtratiuo.
Virgilium ceu Mæonidæ, aut Solona Lycurgo:
Virtutem regno, prodigioq́ dolum.
Vnum diminues, augeſcat vt alterum: at illud
Amplificans, ſaltem par ſit vt iſtud ages. Duo modi amplificandi.
Quidquid ita adfertur, ſit notũ, inſigne, receptum.
Res quoque conferri pluribus vna poteſt.
Dicitur vt Chriſtus Dauid, Salomon, via, verum,
Vita, leo, ſerpens, lux, petra, paſtor, ouis.
Peccatum lepra, virus, hiems, nox, peſtis, auernus,
Cateráque. At ſimiles vndique prome notas.
Iudicium exempli ſpecies ſententia quæuis
Dicitur auctorum: laus quibus alta datur. Cum laude, vel vitupera-tione per ſingula propria.
Scriptores vt ſunt, celebres, populiq́, ſophiq́, Deiudicijs, vulgò vocantur auctoritates.
Antiqui vates, hiſtoriciq́ graues.
Et quicunque viri illuſtres, chartæq́ ſacratæ:
Iudicia, illorum ſplendida dicta voco.
Sicut apophthegma eſt, ſicut prouerbia, ſicut
Sunt reſponſa deûm: Socratis vnde decus.
Denique ſermo grauis quicunque, facetus, acutus,
Mille vt Plutarchus, mille Stobæus habet.
Fictus ad hæc nobis ſententia ſermo vocetur:
Res qualem præſens ſuppeditare ſolet. Sententiæ fictæ.

Siue probare aliquid, siue enarrare, mouere
Seu libet affectus: est locus hisce frequens:
Formæ sententiarum. *Quin & transitio per eas fit idonea sæpe.*
Copia & his, grauitas, gratia multa subest.
Scinditur in varias porrò sententia formas:
Longius has Fabius tradet, ego breuius.
Catholica. Relata ad rē, vel ad personam. *Catholica est. Vitium sua sit sibi pœna. Relata est:*
Nil magis ingenuos quàm bona vita decet.
Simplex Mixta. *Simplex est, humilem Deus aspicit. Addita mixtam*
Dat ratio, nati cùm sit imago sui.
Duplex. *Duplex est: ex oppositis dum partibus vna*
Efficitur, nulla quas ratione probas.
Ad cælum Christus, mundus nos ducit ad orcum.
Quadripartita. *Fit quadruplex, ratio si sit vtrique data.*
Christus enim (subdes) porta est angusta salutis:
Mundus at est latum perditionis iter.
Recta. *Recta est: pauperior, quo ditior, exit auarus.*
Figurata, vt per interrogationem. *Adde figuratam, pax vbi, nónne salus?*
Implicita, sub qua & aliud intelligitur. *Implicita est, reprobo cessit probus, explico quā sic:*
Nimirum improbitas plus probitate potest.
Est epiphonema interdum sententia fini
Firmatæ acclamans expositæue rei:
Epiphonematica. *Pro genere humano Christum crux dira peremit.*
Tantæ molis erat triste piare nefas!
Epiphonema communiter. *Est aliàs epiphonema acclamatio quæuis:*
Quidquid & arguto clausula fine vibrat.
Sic celebrata ferè gaudent epigrammata claudi.
Valer. Max. *Maximus, & Seneca his turget: at esto modus.*
Noëma. *Occultans aliquid sententia dicta Noëma est.*
Inuidus est dignus, qui magis inuideat.
Dignus & immensas vt opes coaceruet auarus:
Conijce, quòd dominos liuor, opesq; necant.

Est nonnulla noui generis sententia demum,
Ex inopinato dicta vel oppositis;
Ex geminato, aliò translatis siue relatis.
De quibus effusè Quintilianus agit.
Nunc exergasia est nobis tractanda: Latinè,
Quòd dicta expoliat, nomen adepta suum.
Hæc fit, quando loco proliue insistis eidem:
Quem varijs replices, amplificesq́; modis.
Commutantur enim primùm verba, atque figuræ:
Vt quod item repetis non videatur idem.
Actio dein vocem, vultum, gestumq́; gubernans:
Denique tractandæ fit noua forma rei.
Nanque aliam inducis paulùm diuersa loquentem
Personam: aut dictum lenius, acre facis.
Partibus hæc porrò septem exactissima constat.
Rem protasis ponit, quæ polienda tibi est.
Vna, duplexúe subest ratio. Sententia deinceps
Vna, duplexúe sua cum ratione venit.
His ita præstructis, quæ sunt contraria subdes:
Mox simile inuenies, adijcies'q; decens.
Nec secus exemplum, post quod conclusio solers
Colliget ex dictis remq́; reiq́; fidem.
Vt, sapiens animo semper studet esse quieto:
Dulcius hoc siquidem nobiliusq́; nihil.
Nā quid honor, quid opes, quid cætera cōmoda pro-
Exagitant animum si dolor, ira, pauor? [sunt:
Infelix nimis est, nimis est miserabilis ille:
Arbitrio quem sors ludit, agítque suo.
Vix dormit nam, vix & edit, vix denique viuit:
Dum sibi securum nil satis esse videt.
Ille sed est felix contrà, vereq́; beatus,
Quem nihil aduersi mente mouere potest.

Noua genera sententiarū. Ex inopinato. Ex contrarijs. Ex geminatione. Ex alio translatis. Ex alio relatis. Expolitio. Commutatio 3. Verborum. Pronuntiationis. Tractationis bifariam. Expolitio septimembris. Propositio. Ratio. Altera ratio. Sententiæ prima pars. Ratio. Sententiæ pars altera à contrario.

Quotquot enim natura potest immittere casus:
Nil animo in tali, quod populentur, habent.
Contrarium propositionis. *Stultitia est igitur vinclis & verbere digna:*
Perpetuis animum non stabilire bonis.
Simile per fictionem. *An non prorsus erit reputandus nauita vecors:*
Qui queat, & placidas addere nolit aquas?
Collatio à simili. *Quippe animus vitijs feruescit, vt vnda procellis:*
A dissimili. *At vitium sapiens omne fugare potest.*
Exemplum. *Adde quòd his meritò sapiens ab Apolline dictus:*
Cui placidus semper vultus, & vnus erat.
Alia. *Sic Cato, sic alij Sapientum nomen adepti:*
Nec faciunt baculi, pallia, barba Sophos.
Collectio. *Iure igitur cùm sit Sophiæ perfectio: mentis*
Expetitur constans à sapiente quies.
Latiùs hæc si vis diffundere singula; eodem
Ordine multiplices amplificésque licet.
Sed neque perpetuò talis seruabitur ordo,
Nec tot erunt partes: hic tamen esto scopus.
Cùm tibi præsertim stylus exercebitur audax:
Omne tuum ostenta, sparge, profunde, penu.
Seria sed quoties res est stringenda: cauendum,
Ne quid idem dicas, neúe superuacuum.
Esse breuis poteris si quid narrásue docésue:
Dum tamen exponis, copia semper opus.
Apologus sub exemplo. *Huc quoque fabellæ spectat genus illud amœnum,*
Quo Phrygis Aesopi nomen honósque viget.
Et delectat enim: & verum persuadet apertum:
At populo imprimis simplicitate placet.
Menenius Agrippa. *Figmento hinc tali per Agrippam factio quondam*
Romanæ plebis sæua repressa fuit.
Corpus (ait) perijt: quòd coniurata negassent
Gratuitum ventri cætera membra cibum.

Sic

Sic homines pigros tolerandos esse probabat,
Nobilitas quòd eis diuitiaeq́; forent.
Cecropidas fecit vulpes fictè obsita muscis,
Nolle magistratus saepe creare nouos.
Vlcera nam saturae desistunt pungere muscae,
Ieiunae diris morsibus illa petunt.
Qui bene naturas animantum callet, & acri
Eminet ingenio, fingat vt ipse licet.
Haec, velut exemplum (quod ad vsum pertinet) vno Vsus duplex.
Interdum verbo significare sat est.
Vt nihil est mirum sperni caelestia mundo: In apologo de cassita.
Aesopi Gallo gemma relicta iacet.
Dilatare potes, si commendabitur auctor,
(Gellius vt fecit) mythologumq́; genus.
Exprime naturas animantum, appinge figuras
Et rerum: vt, si mus incidet, atque leo. Tractatio.
Omnibus hunc numeris attollis: deprimis illum,
Officium cuius mox celebrare cupis.
Si quid & historia his tribuit vel fabula dignum
Auditu: id minimè praeteriisse decet.
Vt de bucephalo, formica, vulture, cygno:
Quam metamorphosin, quid propriúmue gerat.
Deinde faceta fluens narratio taedia tollet,
Si mores hominum, fictaq́; signa quadrent.
Est fingendus adhac sermo, & sententia quaeuis:
Non secus ac verùm si recitetur opus.
Sic geminos mures describit Flaccus: & Aulus
Cassitam: vnde tibi forma sequenda patet.
Principio finíue potest Epimythion addi Affabulatio, quae est moralis sensus.
Fabellam enucleans: quin & vtrique datur. De somnijs.
Somnia praeterea nonnulli ficta recensent:
Verum ostentandi sit nisi causa, fuge.

Ni vel adhortari, vel deterrere laboras,
Pro veris visis somnia falsa refers.

A Prodico fictum.
Herculis illud vt est, dubij, virtutis an asprum;
De fictis narrationibus.
Anne voluptatis lene subiret iter.
Ad suasum conficta rei narratio gestæ
Sit veri similis, quatenus arte vales.

Luciani & Apuleij.
Ficta sed ad risum, à vero quò longiùs abstat,
Gratior hæc fit, vt est aureus ille asinus.
Hisce argumentis mirè obiectantibus aureis
Tota ferè constat Comica scena vetus.
At simili est propius, rerum simulachra referre:
Qualis ab arguto ficta Platone specus.
In qua vincti homines non prætereuntia cernunt:
Sola sed auersis vmbra videnda subit.
Adde allegorias diuina in lege frequentes:
Quæ mores, nec non mystica sensa docent.

Vt per similitudinem, epitheton, metaphoram, & allegoriam, &c.
Nam veteres, euangelij sunt signa, figuræ:
Et superas signant vtraque scripta domos.
Dicta sub exemplo congessimus omnia fermè:
Copia de cuius fontibus ampla scatet.
Quomodo per varias voces variásque figuras
Possit adaptari quidque, sat antè liquet.

Ratio colligẽdi exempla.
Tradere nunc superest, quo pacto maxima possit
Vis exemplorum prompta venire tibi.
Quisquis ad excelsum doctrinæ culmen anhelas:
Te legere auctorum conuenit omne genus.

Loci communes in verbis.
Ergo legens illos auidè, attenteq; volutans,
Collige communes, quot potes, inde locos.
Hic appello locos insignia nomina rerum:
Quæ quasi materiæ fertile semen habent.

Ad hæc decẽ omnia videntur reduci posse.
Vt Deus, vt natura, vt homo, mẽs, sermo, volũtas,
Virtus, & vitium, publica res, & opus.

Quod-

Quodlibet in species vel propria deinde secãdũ est:
Respicit vt pietas, impietásque Deum.
Huicq́; superstitio, ritus, miracula, factum,
Prodigium, oraclum, sors, nemesisq́; subest.
At natura caput mundum cum partibus omnem,
Sic animam, corpus, iunctáque sumet homo.
Ad primum vt redeam: si vis distinguere parteis,
Occurret pietas, impietásque triplex.
Prima Deũ spectat: patriámque secunda, parentes
Tertia, vel sobolem, par quoque si quid adest: Vt sunt præceptores, &c.
Hic se aperit campus de relligionibus vrbis:
Quo iuuet aut natos perdat amore parens.
Appone hinc fidei titulos in numen, amicos,
Hostes, & dominos: perfidiæ ac totidem.
Singula deinde locos poteris tractare per omneis:
Vt pietas quid sit: quid propriúmue ferat.
Quo pacto à reliquis distet virtutibus & quot
Præstita dicatur, quot violata modis:
Quid corrumpat eã, quid alat: quæ cõmoda gignat,
Campus vbi exemplis iudicijsq́; patet.
Quis tibi virtutum, vitiorúmque ordo locandus:
Monstret Aristoteles, Maximus, aut Cicero, Ex locis demonstratorijs, suasorijs & iudicialibus.
Vel diuus Thomas: elementa vel ipsa sequare:
Sed non particulas quasque iubebo capi.
Sat fuerint, quarum est creber dicentibus vsus:
Vt varium causa vult genus, atque locus.
Quæ verò, vitia & virtutes præter, aceruas,
Discrimen geminæ conditionis habent.
Sunt aliqua exemplis accommoda: qualia, clarum
Ingenium, mala sors, mors cita, lingua procax.
Subijce quæ pugnant, aut quæ sunt proxima cuiq;: Loci communes in sententias.
Vita vt iucunda mœsta; serena domus.

Sunt alia unde magis pendet sententia: sicut,
Pulchrum cuique suum. Res malè parta ruit.

Cóparatiua.

Spectat & huc quidquid problemate comparo tali:
Uxorem sapiens ducere nec ne velit?
Regali vita, priuata beatior, an non?
Quærere diuitias præstat, an abijcere?
Sed ne turbet iners rerum confusio: debet
Præcipuos titulos subdita turba sequi:
Post totum sit pars, subsit sententia parti:
Fac itidem parteis, pars vbi scissa dabit.

Sententiæ seu loci commu nes de cósilio.

Instar sit capitis prudentia scripta: sequetur
Consilium rectum, futile, turpe, pium.
Credendum expertis; nil vtile, quin sit honestum.
Nox dat consilium, cætera lege pari.

Modus colligendi per locos, &c.

Talibus ergo locis spatia in diuersa relatis:
Sub titulo Auctorum dicta repone suo.
Siue est exemplum: siue est sententia: siue est
Fabula: seu mirum quidlibet, atque nouum.
Siue parœmia, siue lepos, translatio siue est:
Seu simile, & scita quidquid ab arte fluit.
Sic animo quæcunque legis multò altius hærent:
Fit quoque partarum promptior vsus opum.
Vtendum est opibus, ne sis pro diuite pauper,
Dicens, vel scribens, obuia cuncta rape.
Ne verò vlla tuis studijs aliena putentur
Dogmata scriptorum: quo minus illa notes,
Nusquã aberit quæstus lõgè, esto, mathemata distẽt
Rhetoricis: duces at simile inde frequens.
Confertur sapiens tetragono in se vndique firmus,
Et sphæræ: similis quòd sit vbique sui.
A physicis itidem: ferunt vt fulmina montes:
Elatos homines sic mala dira premunt.

Sit

293

Sit miti clemens princeps, aspérque rebelli:
Vt liquat æs fulmen: ceráque sana manet.
Vel trabis exemplū. Vt monstrāt elephātes, aberret
Si quis iter; doceat qui scit honesta, rudem.
Non sinit vt delphis teneros discurrere fœtus,
Sic sobolis custos anxius esto pater.
Auctorum ergo volans nitidos, studiose, per hortos
Sicut apis flores ad tua mella lege.
Germina decerpi sed cùm non omnia possint,
Delige sunt operi quæ magis apta tuo.
Multa locis eadem tribues pugnantibus, vt quæ
Diuersos vsus, oppositósue ferunt.
Namque & auaritiæ similis ponenda Charybdis;
Et Ventri & Veneri: quæ satiare nequis.
Socratis vt monstrat cædes, obnoxia virtus
Inuidiæ est, nec mors est metuenda viro:
Ille & laudandus pota læto ore cicuta:
Et ratione alia vituperandus erit,
Quòd rigidam ob Sophiam cōmunia dogmata sper-
Sponte sibi atque suis tristia fata dedit. [nens
Multa quoque exemplo sententia manat ab isto,
Quam nos communem dicimus esse locum.
Vnus hic: Inuidiam sibi comparat inclyta virtus:
Alter hic est: Odium dicere vera parit.
Hiq; alij: Iudex rationem sæpe minorem
Iuris, quàm iniustæ nobilitatis habet.
Nil peius quàm nacta malos opulentia mores:
Cùm sanctum insimulet gens scelerata virum.
Queq; haud quidq; decet: docuit qui temnere mor-
Mortiferū intrepida frōte tribunal adit. [tem,
Iudicibus supplex non accidit: At neque præfert
Exilium morti: nec fuga suasa placet.

 Pars

Pars prior hæc. Iam quòd vultu moriturus alacri
Dissereret: tales sumpseris inde locos.
Optat, non trepidat mortem mens conscia recti:
Quàm bene vixerimus, mors bene sola probat.
Tertia pars, quòd dũ Phædrus Phædonq́ue reuinctũ
Non Alcibiades viserit aut Agathon.
Sume locum: veros monstrat discrimen amicos.
Quarta. Quòd exclusis disputat ille suis.
Sit locus: humanis sapientem affectibus angi
Dedecet, vt Christi lex quoque sacra monet.
Pars quinta est. Huic erigitur statua aurea caso:
Cædis & auctores plebs furibunda necat.
Hos decerpe locos. Vulgus temerè odit, amatq́ue.
Post mortem virtus clarior vsque nitet.
Reÿcitur præsens virtus, absensq́ue vocatur.
Crimina nulla diu numen inulta sinit.
Constat ab his liquidò exemplũ quos præbeat vsus:
De simili deinceps experiamur idem.
Indicat vt nautam tempestas orta probatum:
Sors ita rectorem monstrat iniqua bonum.
Vt clauum experto nautæ, non tradis amico:
Publica solerti munia trade viro.
Vt velum vento nauta excrescente secundo
Contrahit: expandens cùm minus ille viget.
Sic vbi sors afflat, cohibenda elatio mentis:
Sorte reflante, animi vis cumulanda boni est.
Dum prohibet cursum tempestas improba rectum,
Obliquis saltem motibus, vt fit iter:
Sic licet impediant iustos aduersa labores,
Promoueas quantacunq́ue licebit ope.
Nautica dum virtus rapidis superatur ab vndis,
Anchora tum iacitur, vela plicata iacent.

Sic decet interdum turbæ cessisse furenti,
Tractari donec se ratione sinat.
Vela subinde mouet partem nauclerus in omnem:
Sic sapiens certo tempore certa facit.
Rex bonus in magnis debet quasi nauta periclis
Exaudire libens qui bene cunque monet.
Tutior vt nauis cui nauta pericula passus,
Sic populus cuius rex mala multa tulit.
Nauita nullus ita est demens, vt quem vehit osus,
Propterea nauim perdere, seq; velit:
Sic foret insanus, quem factio cogeret ipsam
Sæuire in patriam, qua pereunte perit.
Anchora non iacitur summo nisi sacra periclo:
Differ & extremam, res nisi cogat, opem.
Sed quid ego immenso tenues ex æquore guttas
Haurio? quot sumi talia posse vides?
Quin etiam ex vna collatio parte frequenter
Ad diuersa potest assimilanda trahi.
Luna inconstanti vultu variata, figuram
Fortunæ, vitæ, stultitiæq; gerit.
Sic eadem varios sententia cedit in vsus.
Facundus currum supplet eundo comes.
Iucundè viues lepidis coniunctus amicis,
Circunfer librum, tædia discutiet.
Si tranquilla tibi comes, ac bene conscia mens est,
Tædia per vitæ non patiere viam.
Sic & apophthegma, & prouerbia pluribus adsunt Apophthegmata & prouerbia.
Vsibus, & varijs sunt tribuenda locis.
Scribe locum auctoris saltem, quod longius esset,
Contentus verbis significasse tribus.
Eia age, sit titulus datus, inconstantia merum.
Prospice, quot res huc agglomerare vales.

Ex fabulis.

Fabula Mercurium varias transumere formas
Suggeret assuetum, dicitur unde vafer.
Nunc superus, nūc terrigenus, nunc manibus adstat,
Innumerisq; vagus fungitur officijs.
Pocula nunc miscet patri, nunc nuntia perfert,
Nunc animas stygiam ducit adusque ratem:
Nunc se causidicis, nunc mercatoribus offert,
Nunc etiam mira furibus arte fauet.
Vtitur & cithara, & virga, & bicolore galero,
Et cognominibus mille vocatus hic est.
Adijce Vertumnum, formas qui vertere gaudet:
Proteaq; in species qui genus omne migrat.
Empusam, varia apparens sub imagine spectrum:
Morphea: cui quem vult vultus adesse solet.
Deinde veneficijs famosam adducito Circen:
Quæ varias homines cogit inire feras.

καιρὸν tempus & occasio, fingitur Deus mutabilis.

Adde sui nunquam similem inter numina καιρὸν,
Et sibi sumentem quælibet ora Iouem.
Et triplici monstrum diuersum parte Chimæram:
Et quod Pieria Flaccus in arte facit.
Bifrontem Ianum quoque Geryonemq; triformem,
Et Bacchum, insigni qui leuitate viget.

Fortun. Sic vocat Homerus ob varietatem morum & versutiam.

Denique multiplicē quæ fert Rhamnusia vultum:
Quidquid & effingens tale Poëta canit.
Ille πολύτροπος hic ne prætereatur Vlysses:
Personam qui pro tempore quamque gerit.

Ab artificialibus & naturalibus.

Huc facit & variæ lunæ mutabile sidus,
Aërei & facies nescia stare soli.
Multa quoque vndiuagi maris inconstātia, septem
Præcipuè Euripi nocte diéque vices.
Accedant polypus, panthera, chamæleo, pardus,
In quibus est varius, fit variúsue color.

Fo-

Fœmineum ingenium, pueriles accipe mores,
Vulgus & aßidua mobilitate vagum.
Anguillã, & colubrũ: tũ quidquid mobile fluxum,
Aut varium, vt folium quod viret, inde cadit.
Quæ facilè ad flatus omneis curuatur arundo,
Lana notans ventos, somnia, pluma, rota.
Argentum viuum, ramentum, cera bilibris,
Vermiculatum & opus, versicolorq́ʒ tapes. Ex inuctione.
Nonnulla ingenium solers accommoda finget.
Vt speculum in medio grande, paténsque foro:
Quod veluti innumeras species hinc inde receptat,
Sic animum expositum multa parerga replent.
Aut chalybem admotis magnetibus vndique tractũ,
Aut sphæram, in plano quæ sita stare nequit.
Aut vitrum referens, subdis quemcunque colorem:
Ingenio quouis talia finge tuo.
Profer ab historia insignes leuitate Pelasgos, Ab histórijs, & alijs.
Lubrica Pœnorum subijcienda fides.
Nescit Amaxobius stabilem Scytha ponere sedem. Amaxobios, quód plaustris huc & illuc vehantur.
Creditus Hannibal est; & Catilina leuis.
Omnis Aristippum decuit color: atque Tigelli,
Aequale huic Flacco nil quia teste fuit.
Personas adhibet tales Comœdia multas:
Sostrata nam talis, Phædria talis erat.
Ex Tragicis itidem venient, alijsq́ʒ poëtis,
Narcissus, Dido, Colchica, Phædra, Biblis.
Rusticus Aesopi, Satyro mirante, calorem
Ex vno, & frigus protinus ore dabat.
Deinde parœmiacõs Panagæa Diana, cothurnus,
Venti, campus, hydrus, talia mille quadrant.
Vt, saxum musco spoliatur sæpe volutum,
Transplantata frequens crescere planta nequit.

Sedit (apophthegma est) sellis Cicero ipse duabus:
Dicebátque aliud stans, aliúdque sedens.
Id est, alius atque alius identidem, quòd nunc his, nunc illis faueat.
Dictus, vt incõstãs, Mars ἀλλοπρόσαλλος Homero,
Vir solùm hic constans in leuitate sua est.
Cortice hic est leuior, mutat quadrata rotundis,
Nolo volo, volo nolo. Est leuior stipula.
Verba poëtarum sunt hæc, iam cernis (opinor)
Quanta sit excussis Copia certa libris.
In numero ponenda pari est sententia, siue
Prisca sit, euentu siue creata nouo.
Omnibus ijs porrò sua si contraria, nec non
Finitima adiungas, vix numerabis opes.
Et cùm tam varius cuiusque sit vsus, oportet
Sermonem vt ditent quomodocunque tuum.
Vsus contrariorũ varius.
Nam per dissimile vsurpas, contraria, dicens:
Hic nunquam peccat, cui mala sæpe fides.
Pérque Ironiam, si nomine Socratis illum
Appellem, multum qui leuitatis habet.
Aut etiam interdum contraria comparo: sicut
Tam facilis Cæsar, quàm Cato durus erat.
Eadem in vituperationem & laudem.
Finitima haud ægrè torquentur, vt, ambitioso
Tecum habita dico, dico perinde leui.
Quin eadem possunt vice probri dicere laudem,
Vt varium ingenio præpete laudo virum.
Quodq; penu proprium tulit inconstantia nuper:
Huc promo: absimili cum ratione tamen.
Est sapientis enim pro tempore vertere mentem,
Ingenij vtendo dexteritate vafri.
Euripo versatilior: versutior ille est
Pulypode: & flammas mobilitate præit.
Tutior vt calamus ventos se flectit ad omneis,
Plurimus est rebus mobilitatis honor.

Nam-

Namque animal quò mobilius, præstãtius ipsum est:
 Rerum mobilitas, nobilitásque pares.
Ecce loco moles terrena quiescit in imo,
 Altior est sedes mobilioris aquæ.
Mobilior super hanc aër, super aëra & ignis.
 At cælum summè mobile summa tenet.
Inde sophis hominis mens, ignis, & aura vocatur:
 Tardus & ignauus, plumbeus, atque lapis.
De reliquis itidem. Constantia namque vicissim
 Dat cumulo instabilem vituperare suo.
His obiter dictis addamus paucula: quónam
 Ditari sermo fœnore possit adhuc.
Sex dant rhetorici quas vult oratio parteis,
 Orantisq; triplex officium esse volunt.
Orsus, narro, seco, confirmo, refuto, peroro:
 Vt doceam, oblectem, permouéamque forum.
Cui grata est breuitas: aliquas de partibus aufert,
 Contrahit aut cunctas, sæpe docere sat est.
Si magis arridet nitido mihi copia vultu:
 Omnibus officium partibus omne dabo.
Vnamquamque locis proprijs exaugeo partem,
 Quin etiam parteis partibus accumulo.
Quippe exordiolis passim solertibus vtor:
 Vt studium auditor det renouatus idem.
Transitio docilem retinet, promissa, precésque
 Attentum: exposita stat ratione fauor.
Spargi argumentis interdum exordia possunt,
 Tollere dum, quod obest, res, locus, hora monet.
Mirificè augetur narratio: quando decorus
 Personis varijs schemate sermo datur.
Talia personis affingunt verba poëtæ,
 Historicique graues. Lector & inde stupet.

De partium Rhetoricarũ multiplicatione.

Sex partes orationis. Officia tria oratoris.

Exordia plura.

Narrationis locupletatio.

Sic genitor genitrixq́; senes, vt scribit Homerus,
Hectora deterrent: dum ferus arma rapit.

Narratio explicatiùs repetita.

Argumenta capit narratio quælibet, atque
Quoslibet affectus. Vnde perampla venit.
Crescit adhuc repetita tamen: quæ denuo dicta
Fundit, vt inuideas, aut miserere, magis.

Egressio in ratione dilatanda.

Nec minus auget eam Digressio: siue moueris,
Siue in plausibiles expatiare locos.

Propositionis dilatatio.

Augetur protasis, quoties pro simplice, quæ sat
Vna foret, duplicem, multiplicémue fero.
Proridet peccans: nihil isto nequius, vt qui
Non solùm peccat, sed putat esse iocum.
Crescit & inspersis affectibus, atque vibratis
Cursim argumentis: ne temerè adde tamen.
Conuenient, si qua enumero, exponóue gradatim:
Vt siquidem moneo turpe cauere scelus;
Ah miser, ah quid agas vigili circunspice cura:
Quanta heu damna tibi parturit ista lues.
Primùm fama tibi ac generi: quæ semper honesta
Fluxerat, in summum dedecus omnis abit.
Eumenidum inde cohors sæuissima nocte diéque
Vret Orestæa conscia corda face.
Denique iura graues pœnas, læsiq́; reposcent.
Sint nihil hæc: stygiæ te manet vnda pyræ.
Sic poteram dixisse: caue, nam fama peribit,
Conscia mens anget, suppliciumq́; dabis.
Cùm possem rursus decuplo rem tendere tractu:
Duco satis, pronam si tibi monstro viam.

Præmollire dura & paradoxa.

Dura nimis protasis prima si fronte videtur,
Scito exordiolo prælita, mollis erit.
Vt peccata volens æqualia cuncta probare:
Dic quantum obtineat Stoica secta decus.

Ignari quòd multa vocent absurda: sed ijsdem
Certius audita nil ratione putent.
Quis Solem terra non deieret esse minorem,
Terdecies ratio cùm superare probet?
Ergo tenax vulgi tantisper opinio cedat,
Dum res disseritur, quam didicisse iuuet.
Iam suprà quibus est ditanda probatio formas
Diximus: Accipies insuper hasce duas.
Assero nonnunquã, vt, Quis tã peruersus & effrons
Vt neget hæc? cæcum posse videre reor.
Præparo nonnunquã labefactáque reddo, vel aptas
Per protases, sermo de quibus antè fuit.
(Nam protasis cuiusq; modò est collectio partis,
Quam propono, probo, fortiùs ac repeto.)
Vel specie dum proposita est oratio tali,
Abroget vt tacitè conciliétue fidem.
Ante refutandum nobis quod pessimus hostis
Clamitat, indignum luce Milona frui.
Namque mali ac hostis nomen, subiectáque tollit
Ironia fidem: mox docet esse secus.
Ditanda est etiam collectio singula summis
Post ratiocinium particulare datis.
Res ita restrictas sequitur conclusio fortis,
Id quod ab effuso fit Cicerone frequens.
Amplior vt sit adhuc, excurre, locósque per omneis
Affectu tracta, quotquot ab arte tenes.
Affectum immodicũ tragicus, placidumq; ministrat
Comicus, est Græcis ἦθος hic, ille πάθος.
Inter & affectus sit delectatio mixta.
Siue perorabis, seu locus aptus erit.
Tradit Aristoteles, iucundum cuique quid extet,
Tullius & Fabius, quid iocus, atque lepos.

Probationis locupletatio per asseuerationem, & per labefactationem seu præparationem.

Per ipsam figuram orationis. Locus Tullij variatis aliquantum verbis.

Locupletatio singularum conclusionũ per epilogos particulares.

Delectatio.

Comi-

Vis affectuū.

Comicus affectus narrando est aptior, vt qui
Res oculis offert, percipiturq́ magis.
Inde est, quòd Flacco rectè morata, rudisq́
Fabula, compositos praeminet arte sonos.

Homeri locus.

Inde est, Maeoniden satias quòd nulla legendi est:
Exemplo ex vno quod tibi faxo palàm.
Cùm semel armatus portis erumperet Hector:
Suspectum Andromache vult cohibere gradum.
Ocyus occurrit famulis comitata puellis:
Et puerum gestans Astyanacta sinu.
Filius ille patri percharus, & vnicus: atque
Pulchellus totus, sideris instar, erat.
Arridet genito viso pater: illáque dextram
Porrigit, & proprio nomine blanda vocat.
Colloquio vt decuit facto, caput admouet Hector,
Figeret vt teneris oscula sueta genis.
Arma corusca puer cristamq́ pauescit equinam,
Clamat nutricis flectitur inq́ sinum.
Ridet vterque parens: galeam pater ipse reuulsam
Ponit humi: amplexum prolis & inde petit.
Huic & fausta precans vxori reddit amicae,
Quem bene olente premens suscipit illa sinu.
Et lachrymabile quid ridens: commotus at Hector
Et miserans, tremulam fulcit vtraque manu.
Nomine compellat solans: galeam inde reponit.
Illa viro paret, se recipitq́ domum.

Vt Cicero narrat Milonem à Senatu dimissum domum rediisse, calceos & vestimenta mutasse, dum se vxor comparat, commoratum esse. vide Fabium.

Nóxque domus fletu muliebri tota repletur,
Deplorant viuum: quem periisse timent.
Hinc liquet, affectus vt amat narratio mixtos,
Praesertim gestus si quoque fictus adest.
Saepe fidem insinuant etiam narrata, quibus res
Non eget, vt speciem simplicitatis habent.

Praterea oblectat solers allusio: verùm
Cùm pauci capiant, est adhibenda loco.
Sunt alia, vnde etiam gratus fit sermo, figuræ, Allusiones.
Quas tibi Rhetorica præstat ab arte peti.
Hæc modò sufficiant, finem faciamus: at vnum
Admoneo lector te studiose prius.
Nonnulli breuitas si fortè Laconica cordi est, De breuiloquentia.
Atticus imprimis hoc velit esse modo.
Præfetur nihil: affectus nec misceat vllos:
Sed rem summatim, simpliciterque sonet.
Præcipuis tantum argumentis gaudeat, & non In his continetur omnium dictorum epilogus.
Explicitis: numero sint quasi verba pari.
Sit docuisse satis, non asserat, amplificétue. De asseueratione.
Sint simile, exemplum, fabula quæque procul.
Non epiphonema, aut sententia, vel iocus adsit,
Allusúsue, nisi tale quid esset opus:
Sermonem illustrem reddens, amplumq́ue vel acrem;
Iucundumúe, habeat nulla figura locum.
Rem verbis alijs, alijsq́ue haud tractet eandem.
Immo minus dicat, plus queat vnde capi.
At verò facunda magis cui copia grata est,
Dilatet positis singula dicta modis.
Sed caueat, ne dum fines affectat vterque, Vitia cauenda copiam affectanti vel breuiloquentiam.
Finitimum in vitium more frequente cadat.
Pauca, sed optima dic, heus tu breuitatis amator,
Ornatúmque grauem propria verba gerant.
Simplicitas aderit, ne sis obscurus. ero (inquis)
Frigidus, affectus dum mihi nullus adest.
Suppleat hunc dignis à rebus aculeus ortus,
Infixusq́ue animis, atticus atque lepos.
Postremò caueas ne, dum breuiora capessis,
Prætereas, quod erat cunque necesse loqui.

Copiæ

Copiæ amator aget contrà. Res, verba, figuras
Deliget, ac ratio nulla futura leuis.
Non hebes exemplum, ſententia frigida, iuſto
Longior excurſus, tempore, & abſque ſuo.
Nequa figura nimis durum affectetur in vſum,
Confuſum turbet plurima iuncta nihil.
Ordinis ergo tibi ratio ſit ſumma tuendi.
Tædia iucundæ res, variæq; leuent.
Per nitidas dices varia & iucunda figuras,
Qua moueas riſum Tullius arte docet.
Cùm teneant etiam varias exordia formas,
Et reliquæ partes antè paraſſe decet.
Verùm nemo locos fœcundos cenſeat omneis,
Vimq; exaugendi ſemper ineſſe parem.

Argumenta facunda & ſterilia non eodem modo tractanda, & loci itidem ſinguli.

Quos natura facit ſteriles, tranſmittere præſtat,
Ingenij vires ni libet exerere.
Ex muſca hic facias elephantũ, vt laudibus eſt qui
Caluitium, febrim, ſtultitiamq; vehat.
Aſt vbi ſeria res agitur non abſque periclo,
Ex cauſa ſtatuas vtilitate modum.

F I N I S.

ANGELI
BVRCHIONII ROMANI,
GRAECAE, ET LATINAE ORATIONIS, HVMANIORVMQ. LITTERARVM PROFITENTIS, AC TRIPLICIS IDIOMATIS POETAE,

AD NECESSARIAM, ET AVREAM GRAECAM LINGVAM EXTRA PVERILEM MOREM DEFATIGANDAE MEMORIAE MIRA TEMPORIS BREVITATE CVM FACILITATE DISCENDAM SVASORIVS SERMO.

SEXTAM PAGINAM LEGITO.

ROMÆ
APVD LVDOVICVM GRIGNANVM
M. DC. XXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ANGELI

...CHIONII ROMANI
GRAECAE, ET LATINAE
ORATIONIS, HVMANIORVMQ.
LITTERARVM PROFITENTIS.
AC TRIPLICIS IDIOMATIS POETAE
AD NECESSARIAM, ET AVREAM
GRAECAM LINGVAM

EXTRA PVERILEM MOREM
DEFATIGANDAE MEMORIAE
MIRA TEMPORIS
BREVITATE
CVM FACILITATE DISCENDAM
GRAECVS SERMO.

ROMAE
APVD LVDOVICVM GRIGNANVM
M. DC. XXVII.

SVPERIORVM PERMISSV

PERILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO, COLENDOQ. PATRONO, VALENTINO PASCHALIO VTINENSI, PROTONOTARIO APOSTOLICO

ANGELVS BVRCHIONIVS ROMANVS FELICITATEM.

QVVM ego, vir celeberrime, de lectissima lingua Latina libros circiter viginti ad barbariem longius propellendam, quatuor verò de Græca adiuuandam, properandamq. ipsius perceptionem, accuratissime conscripserim; quumq. vel iurisconsulto, vel poetæ, vel philosopho, vel alij aliqua litterarum scientia, vel arte docto eos nuncupare mihi visum sit; nihilominus, quando mihi hoc tempore vsu venit, floridum, vt Græci aiunt, τὸ προτρεπτικὸν in lucem edere ad pretiosissimum litterariæ Græcæ linguæ liquorem depromendum absque eo, quòd ne littera quidem sit pronuncianda memoriter, idq. ocyssimò semestris progressu felicissimæ rationis beneficio non paucis ab hinc mensibus, nec breui meditatione à me dumtaxat, Deo aspirante, inuente, vt noua vel senioribus impertirem, proq. suo quisque arbitratu ad pellucidissimos Aeschinis, & Demosthenis, Thucydidis, & Herodoti, Luciani, & Aristophanis, Euripidis, & Theocriti, Pindari, & Homeri, Platonis, & Aristotelis, sanctissimorumq Chrysostomi, & Basilij, Cyrilli, & NaZianZeni, sexq. centorum aliorum huiusce haud pœnitendæ locutionis auctorum, fontes properaret; quumq. viderer decorandæ Græciæ iniuriam facere, nisi eius eruditionis, ac doctrinæ viro, vt versaretur in omnibus, rem inscriberem, siquidem eius gentes ferè omnia aut excogitarunt, aut consummarunt; memorabili Latio afferre iniuriam, quòd suum ab eadem ortum traxerit;

git; quin etiam memet ipsum iniuria afficere, nisi eiusmodi hominis haberetur ratio, cuius doctioris auctoritate nominis nostra cōprobarentur maximè: eximij ingenij tui delectum habui. namq. ipse philosophiæ non vtique es inscius, vtriusque iuris es consultus, vtriusque linguæ peritus, quemadmodum ex multis, & acutioribus; doctissimisq. tuis tam prosaicis, quàm metricis voluminibus, primarijs, Regijs, Cardinalitijs, Pontificijs nominibus insignitis liquidissimè constat. De quibus, meæ quidem desiderarentur partes, nisi ipse nonnulla recenserem. Tu igitur non scriptor descriptor, sed inuentor, atque ingeniorum apex pedestri sermone litteris mandasti illud opus varia mirè complectens, cui speciosissimæ inscriptionis (Ambulantibus gaudium, & salus) tractationi congruenter prolixiorem sermonem præfixisti, cuiusque cum Quintiliano sapiens non præcipitasti editionem: equestri verò (Cometis nulla fides) Paullo Quincto Pont. Opt. Max. nuncupatum, cuius summi viri munificentia Protonotarij iure quidem optimo Apostolici es præditus ornamento; Cydippe cū dilucidationis historicæ additamento, Serenissimo Sigismundo III. Poloniæ Regi inscriptum, ex quo emolumentum emolumento, tuo decus decori ita accessit, vt tu solus Regni Protectoris Cardinalis Montalti Patroni tui vices, negotiaq. gereres; Tobias elegiaca non sine prudentis enucleationis connexione, aliaque, & exponentia, & docentia, & censoria soluta, astrictaq. tam multa spectatæ varietatis orationis, vt infinitum esset singula nominatim percensere. Vti planè, quæ Montalto purpureatorum Patrum munificentissimo de admirando Auerniæ monte post reditum panxisti, eius ornata insigni, tam peritè, affabreq. præstantiore manu in æs inciso, adeo eleganter, adeo lepidè, adeo scitè ad montem monte alludens, tam venustè, tamq. acutè perstringens, vt Romanum illum antiquitatis nitorem scriptio præseferat. Verùm equidem facere non possum, quin tuæ iacturam Moseidos tamquam mei partus tecum ipse doleam, adeo grauis, heroiciq. poematis, metriq. insignis, vt profectò non dubitem, quin illud gloriam tua gloria accumulans te ad immortalitatem prouexisset. quamquam potius, cautiusq. crediderim, adeuntium caussa ad eruditissimum in lectulo iacentem virum, à quopiam descriptum alibi autumante, præstantia capto, surreptum fuisse monumentum. Quæ omnia futurum sanè non erat, vt euenirent secus, & propter sapientiā

docto-

doctorum acumen, quibus semper operam dedisti; vt in iure ciuili Angelo Matthaatio, Guido Pancirolo, ac Iacobo Menochio; in iure canonico Terentio Patauino; philosophia verò Francisco Piccolomineo, & Comiti Zabbarellæ: & propter perspicacem, quam à Summo rerum Conditore sortitus es intelligentiam: & propter maiorum, coæuorumq. consanguineorum, atque affinium peritiam, prudentiam, sanctimoniam, qualis dubio procul fuit Albertus Paschalius, ille, inquam, Albertus, Clodiensium Episcopus; & litteratissimus auunculus Marcus Antonius Tritonius, ijq. germani fratres, quorum vnus Ioannes Baptista vtriusque iuris censura spectatissimus, inter suæ patriæ aduocatos non postremus, litteris quidem certè ἐγκυκλοπαιδείᾳ alter, qui Ferdinando tum Archiduci Austriæ Serenissimo, in præsentia verò Romanorum Cæsari electo duobus equis fideliter quum meruisset, inter cum hominibus prælium inglorium ratus, cum Inferis hostibus signa contulit, ab humana ad Christianam augustissimi claustri traductus militiam: & propter tuam illam præclaram Vtinensem patriam, vnde tamquam noua ex Attica, & Lyceo magis, magisque in dies ingeniorum ingenia ad Vrbem transmigrant, quale tuum quippe amaptis virtutum sectatorum, litteratorum consiliarij, cæterorumq. illa in Græcis versatissimorum litteris experimur; quos inter Romulus Amasæus, Franciscus Robortellus, & Fabius Paulinus, qui Venetijs veterum Græcorum linguam profitebatur incredibili hominum confluxu. Eius rei testes appello, & nitidissimam tuam, domesticam, vniuersalem, singularem bibliothecam, & doctissimorum virorum frequentiam, per quibus gratum est vti secum familiariter. quos omnes non alia equidem caussa præteream, quàm tua ne grauetur modestia; quàm ne, quæ in omnium ore versatur, clarissimum vrbis nomen diuulgetur; quàm eo non sit opus tuæ non aduersæ fortunæ amplitudini, meritorum aceruo, virtutum tuarum denique splendoribus. Mihi itaque satis quidquam tuarum laudum, quæ in hac vrbium vrbe, orbis terrarum metropoli decoris quotidie nominibus dictitantur, attigisse. Iure igitur petens merentissimam dexteram tuam honoris ergo, & rogans, ne ægrè paginarum feras paucitatem, sed boni consulas pro tua prudentia operis rationem, finem facio 15. Calendas Iulias, anno ab orbe redempto M. DC. XXVII. Romæ.

Π Α Ε Τ Ξ Τ Ε Ο Ν

IN

OPERIS CALCE

INTERPRETATA.

Ξ Λ V Π U X M

QVEMADMODVM, lector amabilis, rerum caussæ necessariæ, quòd fieri non posit, vt sine illis nostrum genus, ceteris omissis, in hac mole terrestri vitā degat, ex rebus valde miseris oboritur plena lacrymis miseratio. ex veteri lingua nouum loquendi genus proficiscitur. ex præcellentis ingenij acumine sexcēta alia alijs venustiora inuenta existunt. ex mæsta telluris vmbra tenebricosa nox. ex animantium corporū elementari discordia homicida febris. ex corruptione matre iuxta philosophicè assertum generationis partus editur. ex abundāte materia horridi Aetnæ perpetuus ardor enascitur. ex natura vnctissimis, putridisq. humoribus terrestre bitumen progignitur. ex nobili virtute aggrauantium metallorum ex terra, quam parens natura inunxerit, rudioreque: concrescūt opulentiores gemmæ. conflatur ex aptiore multarum stellarum coitione portentosus cometa. ex aculeata planta egreditur purpurea rosa. nascitur ex accensiore igni voratrix flamma. gignuntur in fodinis diuitibus, quæ pretiosæ sunt venæ, & viscera huius terrenæ sedis ex penetrante, & viuo argento, & sulphure, quod cō-

buri non nequeat temperati ergo caloris cæleſtiū corporum: dura, & ponderoſa metalla. ex non adurente, ex rubro, ex mundo, & puro ſulphure; & ex puro, ex claro, facticioq. argento pretioſiſſimum aurum; ex altè durata nube, antequam in præcipitem abeat aquam, fit candida nix. ex calida, ſiccaq. exhalatione, quæ non patiatur accendi, præproperi venti, veluti pluuius Auſter, frigidiſsimus Caurus, Caniculares Eteſiæ, altiſsimus Vulturnus, vehementiſsimus Aquiló, furentiſsimus Africus, viuificator Zephyrus exoriuntur. ex arida humo, quam Indici Gangis, Lydij Pactoli, Thracij Hebri, Hiſpanici Tagi, Inſubris Eridani, Germanicìq. Rheni mirabiles reluerint aquæ: efficitur ex flauis, nitidisq. mixta granis aureis arena. Ita Latina lingua ex Græca emanat. Quibus mihi ſignificare viſum eſt, vt, ſublatis cauſsis, tolluntur effectus; ita (Latinarum enim pleræq. vocum à Græcis proueniunt); ita, inquam, Græca reiecta cognitione, Latinam reijci. Verùm, ſedule Muſarū ſectator, duplicem Græcam linguam accipe, litterariam, & patriam: nuncupari autem litterariā, quòd ad litteratos homines pertineat; quaq. iucundiſsimus Lucianus, diligentiſsimus Thucydides, primarius Herodotus, Attica Muſa Xenophō, ſuauiſsimus Iſocrates, Socraticus Aeſchines, eloquentiſsimus Demoſthenes, Platonicus Philo, acutiſsimus Ariſtoteles, diuinus Plato, præſtantiſſimus Baſilius, diſertiſsimus Nazianzenus, locupletiſsimus Origenes, profluentiſſimus Chryſoſtomus, alijq. complures perquam egregiè ſcripſe-

runt;

runt; atque allicientissimus Orpheus, melica Sapho, facetissimus Aristophanes, extemporarius Antipater, dentatissimus Archilochus, singularis Pindarus, summus Homerus cum reliquis non gracili carmine cecinerunt: patriam verò, quæ spectat ad vulgus, gentis Græcæ id ætatis locutionem; cui, si litterariam nosse velit, nostra paullo minùs elaborandum sit. nostra autem, inquam, paullo minùs, quoniam, quum sit ex litteraria deducta ipsius vernacula, atque propterea verba complura habeat consimilia, aliaq. penitùs litteraria retinuerit: eius cognitionem paullo nobis feliciùs accipiunt. Hanc ob caussam paucos ab hinc menses Græcus quidam medicus patria Chius litterariam quidem lectionem callebat, quid autem sibi vellet, demptis nonnullis propter similitudinem, & cohærentiam vocibus, ignorabat: vt planè nostræ contigit, tracta item origine ab Latina; qua si nobis verbum faciundum sit, studio haud exiguo eam percipiamus oportet; nobis enim ad illã maior est, quàm ceteris, facilitas, quum multæ quoque sint Italis dictiones, quorum suis alias alijs similes, alias verò, easdemq. ipsas non dimiserint. Iam verò tibi notum sit, Græcæ litteraturæ cultor meus, nulli, (aut certè quàm paucissimis) nisi cupido, coactoue Græcas regiones transire, aut incolere, Græcam linguam vernaculã esse vsui: litterariam autem quemcumque se litteratum virum profitentem, præsertim Latialis linguæ, præsertim humanitatis, præsertim ingenuarum artium, præsertim medicæ disciplinæ; præsertim philosophiæ

necess-

necessarijs, & maximis caussis non dedecere doctorem; quando delectabilium, vtilium, bonarum, atque vtendarum rerum principes per tam ornatum sermonem sua quasi immortalitati consecrarunt: vnde cum Græcæ dictiones, tum Græcismi passim in Latinorum monumentis occurrunt. Tametsi dicet aliquis: Quorsum huiusce linguæ perceptio, si vniuersa Græcorum volumina Latino iure hac tempestate donata? Verùm ad hoc ipse responsum dabo, id rectè quidem, si translatorum nonnulli, ne dicam proditorum, aut ignorantium, aut cæcutientium, aut negligentium, non in errorem impegissent, vel quid pro quod, vt aiunt, admisissent: vel ridiculos, quemadmodum Græci loquuntur, παραλογισμοὺς inopinanter captassent. A veritate itaque ni res abhorreat, vt minimè abhorret: ecquis litterariam Græcam linguam satis numquam laudatam superuacaneam esse reluctans asserat? quidquid pulchri, boniq. Latinis litteris inest, vnde, nisi ab excellentibus Græcis sortitæ sunt? ita vt litteraria Græca, Latinaq. locutio connectantur, vnaq. copulentur: propter quod iure quidem optimo vtriusque linguæ bene doctus Gretserus cecinit ad hunc modum:

Qui linguã Latiam super æthera laudibus effert,
Hic nullo Argolicam spernere iure potest:
Altera enim alterius propriũ defendit honorem
Gloria, & alterius nititur altera ope:
Aut igitur linguã, quidquid erũpit ore, Latinam
Non amat, aut pariter Graiam amat, & Latiã.

Et Lyricorum poetarum Latinorum primus mel-

lite sic adhortando cecinit in Poeticis:

Vos exemplaria Græca

Nocturna versate manu, versate diurna.

At verò audire vos iuuat peculiariùs huius non ignobilis linguæ emolumentum? Aegianis metris attentas præbete aures, ita adhortantibus:

Quisquis grammaticā vis discere, discito Græcè.
Vt rectè scribas, non prauè, discito Græcè.
Si Græcè nescis, corrumpis nomina rerum.
Si Græcè nescis, malè scribis nomina rerum.
Si Græcè nescis, malè profers nomina rerum.
Lingua Pelasga vetat vitiosos scribere versus.
Lectio quem Plinij delectat, discito Græcè.
Siq. libros sacros vis discere, discito Græcè.
Hieronymum vt teneas, vigilās tu discito Græcè.
Argumentari quisquis vis, discito Græcè.
Quisquis rhetoricam vis discere, discito Græcè.
Scire mathematicam quisquis vis, discito Græcè.
Artibus in medicis qui captus, discito Græcè:
Morbis nam cunctis sunt indita nomina Græca.
Argolicum nomen cunctis liquet esse figuris.
Artes ingenuæ Graio sermone loquuntur,
Non alio, quibus haud nomē dat lingua Latina.
Ad summum doctis debentur singula Græcis.

Quis igitur adeo vberem linguam, si in tam multiplices diffunditur vsus, non miretur? Verùm tantæ rei caussas indagemus. *Quisquis*, inquit, *grammaticam vis discere, discito Græcè*. Siquidem plures grammaticæ leges, atque exempla, potissimùm Aldina, atque Aluarica, at præcipuè quo loci difficiliores inflexiones grammatica ratio præcipit,

& vbi non minùs frugiferam, quàm iucundam, qua versificatio traditur, artem metricam, vel re vera nesciantur, vel certè intelligantur perperam, nisi litterariæ Græcæ dictionis clara lux effulgeat; aut aridiùs, nisi teneatur lectitatio. nisi non lateat elementorum, diphthongorumq. transitio. nisi ignoti spiritus non sint. nisi habeantur accentus. nisi dignoscantur inflexiones. nisi earum pateat aptatio. nisi denique Græcolatini dictionarij, quod λεξικὸν ἑλληνορωμαϊκὸν Græcis, proprijsq. vocitant vocabulis, inuestigandi scientia accedat. Atqui Græca necessaria lectio, quòd in oratione prosa tam oratoria, quàm historica, immo, & multo magis metrica non desiderentur verba Græca. superuacua non est litterarum, & diphthongorum translatio, quum per id ipsum Latinis Græcæ declinationes accommodentur, ac ceteræ voces perbene Latinè reddantur. non est spirituum negligenda notitia, vt certò sciamus, vtrùm Græca vocabula sint aspiranda, nec ne. est opus accentuum disciplina, quoniam Græcæ voces Græco & sono Latinis pronunciandæ. Græcè quoque Latialibus inflectendum, quia prosaicæ, & multo magis metricæ Latinitati non absunt Græci casus. noscenda est & declinandi traductio, vt vtriusque declinationis permutatio appareat. præterea alphabeticam Græcolatini vocabularij disquisitionē ad intelligendas innumerarum vocum significationes Latinarum rerum docendi sunt amatores. Egregiè igitur suadente carmine Aegius cecinit: *Vt rectè scribas, non prauè, discito Græcè. Si Græcè*

nescis,

nescis, corrumpis nomina rerum. Si Gracè nescis, malè scribis nomina rerum. Si Gracè nescis, malè profers nomina rerum. Neque minùs ad rem nostram æqualium suorum facilè primus, & regius historicus eruditissimus Antonius Nebrissensis illud epigrammatis nobis legendum proposuit:

Litterulas Graecas, fluxerunt vnde Latinæ,
Siquis nosse cupit, longa tenenda via est.
Vt culmen teneas subeundi mille labores.
Rara quidem res est, at pretiosa tamen.
Maiores maiora petant: mihi parua secuto
Sufficiat pueris prima elementa dare.
Illa modò, sine queis non constat sermo Latinus;
Et quæ si spernas, mox habeare rudis.

Quem virum Hispaniæ æuo suo splendorem saltem ex parte æmulãdi cupibus Parisiolus, breuiloquus nostri temporis grammaticus Græca suo elementa libello præcisè adiecit. Quocirca sic habeto, deliciæ perlegentium meæ, de me vel adolescente, nunc septem, & viginti annorum iuuene tam adolescentes, atque adultos, quàm senescentes; tam discipulos, quàm magistros in virescente, ac trifero Interamniæ municipio: demum iterum Romæ, vetusta, Pontificaliq. in vrbe discere voluisse. *Lingua*, idem ait, *Pelasga vetat vitiosos scribere versus.* namq. omnia carminum genera (quæ breuitatis studiosus nõ apposui) à Græcis mutuati sunt Latini, liberiora tamen, licet alioqui vnum sint, Latialibus Græca; idq. caussæ est, cur vel ipsa nomina sint à Græcis. cuius ergo rei perinde vt querulus epigrammatariorum Romanorum princeps

ceps

ceps argutissimus Phaleucio metro suauiter decantat:

Nobis non licet esse tam disertos,
Qui musas colimus seueriores.

Lectio, ille pergit, *quem Plinij delectat, discito Græcè.* Nam Plinius Secundus Veronensium doctissimus, & scriptor matris maximæ naturæ abditarum rerum indefessissimus litterarum Græcarum peritissimus fuisse legitur. hancq. ob rem quamplurima Græca verba in iucundissimis eius lectitantur historijs. *Siquæ, homo versificat, libros sacros vis discere, discito Græcè.* Etenim vel Biblia sacra à Ptolemæo Philadelpho, rege antiquæ Aegypti prudentissimo, atque auctore multorum tam celebri linguą in lucem editorum voluminum celeberrimo per duos, & septuaginta in Græca ex Hebraicis iussa verti interpretes, qui vno, eodéq. modo, quod mirandum sit, interpretati sunt, circumferuntur. igitur ob eam versionem litterariæ Græcæ linguæ cognitio eximijs non in minimis locanda concionatoribus, quum inter Græca, & Latina sacra oracula non parum discriminis intercedat. ex quo magis, ac magis illa nobilitatur, quippe quæ primam sacrorum librorum conuersionem sortita sit. *Hieronymum*, is prosequitur, *vt teneas, vigilans tu discito Græcè.* Id quod Christianæ reip. doctor amplissimus Hieronymus huius suauis idiomatis callentissimus euasit. quod perfecit; sanctissima, doctissimaq. vt eius opera compluribus sint Græcis vocabulis aspersa. *Argumentari*, ipse loquitur, *quisquis vis, discito Græcè.*

cè. Namq. absolutissimū, perspicacissimūq. argumentandi culmen sua hisce litteris conscripsit. *Quisquis*, idem ipse versificat, *rhetoricam vis discere, discito Graecè*; Quis enim postremam Arpinatis eloquentiae manum, nisi Graeci eloquij pares Demosthenes impulsuit? Cur tanti habetur poetarum Iuppiter, nisi quòd Graecum in Bucolicis Theocritum, Graecum in Georgicis Hesiodum, Graecum in Aeneide Homerum imitetur? vnde, nisi ab excellentissima Graecia suam ars tulit originem oratoria? *Scire*, decantat auctor *mathematicam quisquis vis, discito Graecè*. Quum per hanc venustissimam, atque eruditissimam linguam sua eius disciplinae scripta nobis euoluenda tradiderint eminentissimi. *Artibus* (qui nobis fauet modulatur) *et medicis qui captus, discito Graecè*: *Morbis nam cunctis sunt indita nomina Graeca*. Quae multitudinis insolentia non sunt annexa, *Argolicum nomen*, versificator canit, *cunctis liquet esse figuris*. Tam communes enim figurarum, quas Graeci vocant σχήματα, quum ad grammaticam, tum ad poeticam, atque oratoriam spectantium facultatē, quàm propriae appellationes (quae omnes, ne essem prolixitate morosus, apud me manserunt) Graecae nobis paginae suppeditarunt. *Artes*, vir hortatur, *ingenuae Graio sermone loquuntur, non alio; quibus haud nomen dat lingua Latina*. Quid igitur aliud ipsarum nomina, nisi Graecum redolent? Haec nobis exposita, tibi vt cumulatiùs satisfaciam, simq. oblectamento, sic, amantissime lector, in lucem prodeant. Vox

gram-

grammatice, vel grammatica litteraria dicitur, vel quòd ab ipsis litteris initium faciat, vel potius quòd ad litteras, nimirum ad scientias, siue disciplinas, aut illarum studia pertineat, tamquam ostium, quà discendi auidis intretur; notissimum, atque in primis necessarium. Dialectice, vel dialectica quasi disserttrix; id est, ars disserendi, aut disputandi; rhetorice, aut rhetorica; hoc est disciplina dicendi. arithmetice, vel arithmetica, numerandi doctrina. musice, vel musica, via canendi. geometria, videlicet terræ mensio; ratio scilicet metiendi terram. astronomia, nempe stellarum, atque astrorum magistra. Insuper nouenarius Musarum chorus lepidissimè, commodissimeq; Græcis tam appellatiuis, quàm proprijs nominatur vocibus: appellatiuis, inquam, id quod Musa cantum denotat; idq; duabus de caussis: quia vniuersalium, ac numerosorum poetarum deæ, ne dum concordis, suauisq. musices sunt habitæ. quæ res primam obtulit ansam, cur ab ipsis in bellulis, prolixisq; scriptionibus ad modulatissima, dulcissima, efficacissima carmina pangenda inuocarentur. Quocirca perbellè quidem gloriosa Clio insigni Homero, festiuissima Euterpe florenti Ouidio, facetissima Talia præstanti Virgilio, cantatrix Melpomene speciosissimo Thamyræ, voluptaria Terpsicore pastori Hesiodo, dulcis Erato inuetrici Sapho, memor Polymnia inimitabili Pindaro, cælestis Vrania inuẽtori Musæo, cientissima denique Calliope admirãdo Lyricini propitia fuisse dicitur. Ad hæc Musa vox cantũ signat; illæ

enim canori soni præsagis sunt astrologis, ex quibus sphærica circumactione cælestis, vt asserunt, emittitur concentus. Propria verò, Græcaque vocitatur appellatione, quoniam idem Clio, quod laudo, vel celebro, ipsi enim quum immortalis historiæ tribuatur inuentum, res canit præclare gestas Maroniano ex carmine:

Clio gesta canens, transacti tempora reddit.

Euterpe, hoc est valde delectans; nam canoras inflauit tibias omnium prima, eamq. ob rem cecinit æmulator Homericus:

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus vrget.

Talia, id est pullulans, aut iucunda; quum ea nuptialem comœdiam prima attulerit; ex qua turpibus suis colloquijs, actibusque inferiorem partem delectante obscenis: quid alia menti, animoque, nisi letalia pullulent? igitur Mantuanus Homerus sapienter cecinit:

Comica lasciuo gaudet sermone Talia.

Melpomene, nempe canens; de qua, quum suauis, gratissimæque musices, ac lugubris tragediæ industria referatur inuentrix: proinde summa quidem iniuria insulso inuisus Bauio modulatur:

Melpomene tragico proclamat mæsta boatu.

Terpsicore, scilicet choreas delectans; quod ea illis præsit, & mirabiliter, atque efficaciter pulset oblectantem cytharam. qua de re ab Latinorum poetarum principe, vt multis placitum est, iucundiore metro canitur in Opusculis:

Terpsicore affectus cytharis mouet, iperat, auget.

Erato à Græco verbo ἐράω, ἐρῶ, quod est amo, de-

riuante ab ἔρα nomine, id eſt terra, longiùs profi-ciſcitur: propiùs autem à voce nimirum Græca Ionica ἐράται, amatus, amata, amatum eſt, vel fuit, ſingulari tertia perſona præteriti perfecti vocis paſſiuæ modi indicatiui. namq. amatorijs ideo præfecta eſt canticis, quòd eiuſmodi cantionibus, eiuſmodi ſaltationibus, eiuſmodi muſicis inſtrumentis cæci animo delectentur amaſij. idque fuit in cauſſa, vt illud veterum Romanorum vatum perappoſitè panxerit Apollo:

Plectra gerēs Erato, ſaltat pede, carmine, vultu.

Polymnia, videlicet multæ memoriæ; nimirum ad ſignificandum, memoria labiles arti rhetoricæ minùs eſſe idoneos. Vel longiore vocabulo Polyhymnia, nempe multarum laudum. etenim magnificentiſſimæ rhetorices ornatiſſima ſecundum quoſdam memoratur auctor. ad hanc rem ſcriptor ſpecioſæ Eneidis egregius:

Signat cūcta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.

Vrania, hoc eſt cæleſtis; quia prænunciā illi aſtrologiam aſſignant. perlepidè igitur Latinorum vatum doctiſsimorum doctiſsimus id luſit:

Vrania cæli motus ſcrutatur, & aſtra.

Calliope denique idem eſt, ac vocum pulchritudo; cui duplex ratio ſubeſt: quandoquidem priuilegiarius verſus heroicus, qui ceteros quoſcunque cum grauitate, tum claritate anteſtat, quòd vnus ille ſpectatis magnificentiſsimorum heroum, heroidumque dignatus eſt virtutibus, ipſi attribuitur inſigniter. atque ideo flos Latialium vatum electiſsimus:

Car-

teſtitis est uiribusconcentus; ac primi-
legiarius &c.

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Ecquis, amice lector, amplissimas hic litterariæ Græcæ linguæ diuitias non obstupescat? *Ad summum*, perstringit Aegius, *doctis debentur singula Græcis*. Vnica enim omnium, vel certè ferè omnium glorianda Græcia repertrix perhibetur. Quid quæris? vniuersæ ipsamet nomen indidit philosophiæ. Verùm ex innumeris aliquot afferamus exempla. Philosophia Latinis sapientiæ est amor; etenim singulorum indagatrix. mathematice, vel mathematica (illud Græcè, hoc Latinè), nempe disciplinarum tractatrix; nam per præcepta, ac firmissimas demonstrationes percipitur. ethice, vel ethica, id est moralis; id quod morum per illam traditur disciplina. physice, vel physica, hoc est naturalis; videlicet, quæ ad naturalia attineat. metaphysice, vel metaphysica, supernaturalis, vt aiunt, Latinè redditur; loquitur enim de rebus naturam excedentibus. logice, vel logica, ars loquendi, & ars disputandi; vtrumque enim Græco vocabulo exprimitur. poetice, vel poetica propriè fingendi artem significat. historia idem est, atque narratio. astrologia, quæ loquitur de stellis. monastica Latinè dicitur solitaria; id est, quæ ad solum hominem pertinet; namque, vt docti norunt, est triplicis ethicæ pars prima. œconomica, videlicet domestica moderatrix. politice, seu politica, scilicet ciuilis; id est, quæ ad ministrandas attinet ciuitates. theorice, vel theorica, speculatrix. optice, vel optica, hoc est, quæ ad visum pertinet; id est ars dimetiendi prospe-

ἑu. topicè, vel topica, id est localis, vt loquuntur; est enim argumentorum ars ex locis communibus inueniendi. critica, & ars iudicandi vnum faciunt. Sed quid te morer exemplis, candide lector? opus enim tumesceret altiùs æquo. Obiter notandum, prædicta, ca, syllaba terminata, singulariter accepta, artis esse, vel scientiæ: pluraliter autem, monumentorum. quod litteratorum quamplurimos etiam latet, vt latiùs nostris in Criticis non typographico hucusque calcatis prælo docuimus. O litterariæ Græcæ linguæ speciem, splendorem, amplitudinem, maiestatem! ô litterariæ Græcæ linguæ, propitiæ linguæ, aureæ linguæ necessitatem! Alius tamen obijciet, tam multa requiri ad litterariam istam, cui benedictum est, Græcam linguam perdiscendam; vt ea me Nebrissensis admonent: *Vt culmen teneas subeundi mille labores: Rara quidem res est.* vt illam mihi videatur ἀδύνατον haurire. Ego verò id ipsum infirmabo eo Ascræi carmine cordatè condito:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ, καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηΐδιη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Quod latinis permutatum numeris est huiusmodi:

Virtutem posuere dij sudore parandam.
Arduus est ad eam, longusque per ardua callis:
Asper & est primùm: sed vbi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura priùs fuit, inclyta virtus.

 Quo-

Quorum primum Christianè à nobis recinitur hoc modo:

Virtutem posuit Moderans sudore parandam.

Quare nihil ab re nostra mea quidem sententia discedit perquam moralis M. P. Cato popolita, ac figurata oratione illud asserens: *Litterarum radices amaras, fructus vero iucundiores*. Verùm enim verò tu discrepans fac me nihil hactenus attigisse auditor: non ne sufficiat acutissimum, excitantissimumque elegiacum illud in redacta in epitomen rudimenta Gretseri tersissimè contextum ad effodiendum pretiosissimum litterariæ Græcæ linguæ thesaurum epigramma?

Exilem, canit auctor, *cernis librum, sed spernere noli:*
Parua etenim non sunt, quas tibi spondet, opes.
Hellada promittit totam, gazasque repostas
Argolicæ linguæ, si accipere ipse velis.
Abnuis? es fatuus: renuis? piger: expetis? aude.
Dona labor solus tam tibi larga dabit.
Sed duraturum noctesque, diesque laborem
Quis tolerare potest? quis, nisi solus amor?

Tam commoda, tam vtilis, tam necessaria lingua si de me quæratur prosaica, ac moderata, facillimaque suscipiatur iniungenda meo marti recitatio: non amplius sane dimidium anni curriculum consumetur. si addatur metrica, paullò plus temporis exigetur. si nimius tamen videatur labor, maturatoque in primis opus sit; atque ideo non ad recitatorem perficiendum, sed imbuendum septem illa tibi iam præmonstrata satisfaciant: ego

per bimeſtrem anguſtiam, plus, minus doctum polliceor. At breuioris, faciliorisque Latinæ linguæ perceptioni diuturnius poſtulatur ſpatiū? ergo maior temporis longinquitas Græcæ linguæ; eoque maior, quòd Nebriſſenſis concinerit: *Litterulas Græcas, fluxerunt vnde Latinæ, Siquis noſſe cupit, longa tenenda via eſt*. Et auctor modò adducti carminis: *Sed duraturum noctesque, diesque laborem &c.* Hanc planè obiectionem duplex, atque perefficax ratio diluat: Ocyus, quàm Latinæ Græcæ linguæ capitur documentum; ſi temperatis, ac æquabilibus meo inuento præſcribendis lectionibus percepturus acquieſcas, ſique ijs acceptis, cognitis, & perſpectis: Græcanicis meditationibus, videlicet vocum, attributorumque inueſtigationibus naues operam. Quare alucinantur ij, qui vix ſatis habentes, quæ ſufficiant, ad ſtylum, id eſt ſcribendi, componendiue exercitationem appellunt animum. nam, quæ præmonuimus abſolutis, ſtatim in meditationes pronunciatas incumbendum. Cuius rei duplex adeſt cauſſa: qui enim interpretari Græca nouerit, atque expendere, nouerit & componere, non autem ſecus; & quotuſquiſque eſt, quin barbarè ſcribat, Græcæ phraſis proprietatis ſciolus, aut ignarus, quum vtraque inter ſe differat locutio? nam verbi cauſſa, *conſtruere nidum* Latialis linguæ reperitur formula: Græci autem *facere nidum* dicunt. Multa nobis hoc loco, quæ alias, Deo fauente, breuitatis gratia ſuperſedenda fuerunt. Cur itaque docti grammatici adeo etymo-

logicam

logicam linguam non breui condiſcant? ecquid perſpicaces dialectici perſcrutentur idoneum, quo minùs tam auxiliarij ſermonis poſſeſsionem aſſequantur? quonam pacto ab adhortantis ſententia efficaces rhetores abhorreant, quum omnium exornatiſsimi idiomatis ſuauiſsimum lac poſsint exugere? quas aptè ſubtiles arithmetici rationes ponent, ſi res tanta facillimè comparetur? quamobrem eas reſpuerint dulces muſici, ſi ars ipſorum, decorumque artificium ab induſtrijs, peritiſque Græcis promanarit? quin proſpectantes geometræ ſectentur, ſi Græcè ſcripſerit geometricus princeps Euclides? quare cæleſtes non amplectantur aſtronomi, ſi pleraque exornatorum nominum dicantur Græcè? qui demũ ſit præſagis ludibrio aſtrologis, ſi pulchrioris, optatioris, atque vtilioris aſtrologiæ ampliator eximius fuerit Philadelphus Ptolemæus? Quapropter tam multas, tantaſque ob cauſſas, & venuſta, & dulcis, & ſuauis, & conducibilis, & iucunda, & priuilegiaria, & illuſtris litteraria Græca lingua declaratur digniſsima, quam periti grammatici interpretentur fideliter. digniſsima, quam ſolertes dialectici defendant. digniſsima, quam immortalibus ad ſidera laudibus efferant potentes rhetores. digniſsima, cuius multiplicem vtilitatem, atque ornamentum attenti mira ſerie dinumerent arithmetici. digniſsima, cuius, & laudes, & enarrata emolumenta dulciter concinant ſuaues muſici. digniſsima, cuius fortunatiſsima loca, in-

dimetiantur ad vnguem, ac dilucidè spectantissimi geometræ demonstrent. dignissima, cuius astra benefica hilari fronte, ac feliciter sublimes astronomi diuulgent. dignissima denique, cuius, & insignem decorem, & suauiorem dulcedinem, & inexplicabilem fructum, & Latialem necessitudinem, & inauditum priuilegium, & mirandam excelsitatem magnificè, ac festiuè præsentiētes astrologi prænuncient. Lingua illa hæc est, vir prudenter beneuole, atque illud Latinæ linguæ lumen, quo Christianam fidem vehementes, salutares, atque Apostolicæ linguæ propagarunt. Lingua illa hæc est, cuius inscitia malè aduersus transalpinos hæreticos differitur; ideo ipsemet ab illustrissimo quodam præsule apologeticatū eius scriptionum haud secus, atque fidus Achates desiderabat. Lingua illa hæc est, quam Græcæ sententiæ hortatu: καλὸν δὲ καὶ γέροντι μανθάνειν σφόδρα; quam ipsemet ad verbum reddidi, *Pulchrum planè & seni discere vehementer:* voluit percipere octogenarius senarius Censorius Cato. Lingua illa hæc est, qua, quemadmodum refert tertio De finibus eloquentiæ pater, se delectabat tantopere Vticensis Cato: vt, ne, dum cogeretur senatus, expectaret otiosus, quid Græcum sæpenumero lectitaret in Curia. Lingua illa hæc est, qua vnus de trium linguarum sacris salutiferæ Crucis titulis inscriptus est. Lingua illa hæc est, quam in litterarum otio versatissimus Petrus Victorius, atque Etruriæ splendoribus ascriptus, qui postmodum (silentio nunc reliquis inuolutis) Peripateticorum prin-

cipis

cipis poeticen de Græco in Latinum feliciter conuertit, bonam partem agens ætatis est auidissimè assecutus. Lingua illa hæc est, quam vnam vir quidam ex Italis primarius numerosi triginta idiomatum panegyrici sermonis perlepidè, perque eleganter, perdoctè, perque acutè ab admodum colendis Ignatianis Patribus habiti maximè approbauit. Lingua illa hæc est, qua vnus de septem Vrbis regibus dulcedine allectus sermonem potiùs, quàm patria habebat; ideo aientium, & negantium medicorum frequentia, desperata salute, dum ægrotaret: dolenti, lenta, & queribunda voce exclamauit πολλοὶ ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἔκτανον. id est, vt ipse Latialiter transtuli: *Multi medici regem occiderunt*. Lingua illa hæc est, per quam Cruce sacra cælitus ostensa, vocem se tribus iis cohortantem vocibus, ἐν τούτῳ νίκα, Constantinus cognomento Magnus exaudiuit. quamobrem cum Maxentio sæuissimo tyranno, hoste Christiano nomini infestissimo summus ille vir congrediens, eadem iam in tutissimum, ac firmissimum susceptа clypeum, in vltrices voracis Tiberis aquas hominem demergi gloriosissimè coegit. quas totidem verbis, *In hoc vince*, interpretatus sum. at ex Latini puritate sermonis, *Hoc vince*. postremò ex itidem mea ad paraphrasim dilucida-

certè, quàm Platonica locuturus fuisse crederetur. Lingua illa hæc est, cuius ope sapientissimus Philo, vir in omni, & artium, & scientiarum genere versatissimus; atque Hebraicè, Græcè, Latineque doctissimus; Platonicæ tam adamussim, vt aiunt, æmulatus est flumen eloquentiæ: vt illud esset omnibus in ore ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει. quod ipsum huiuscemodi à nobis Latinitate donatur: *Aut Plato Philonem, aut Philo Platonem imitatur*. Lingua illa hæc est, cuius beneficio lepidis verborum flosculis, permiris rerum figmentis, mirabili allegoria τὴν ἠλιάδα, id est Iliadem; hoc est Iliaci excidij res gestas; ac τὴν ὀδυσσείαν, id est Odysseam; hoc est Vlisseorum errorum historiam; altera corporis quidem robur, altera verò virtutem animi aperite intelligens, humana transiliens decantauit Homerus. quæ mirus mirans æmulus Virgilius, sex prioribus libris Odysseam, posterioribus reliquis Iliadem mirandum sane in modum secutus est. Lingua illa hæc est, quæ erat eiusmodi (vt ex oratione pro Archia poeta optimè eruitur) Romani eloquij parentis ætate, cuius est multis vsitata locis hoc tempore Latina. Lingua illa hæc est, quæ ceteris quibusquibus præstat, sed in primis vsu, atque ornatu. Lingua illa hæc est, cuius præceptori æquè numquam possit opera rependi. Lingua illa hæc est, cuius egomet, egomet, inquam, helluo, doctorum penuria, atque incommodis quàm multæ, quàm multæ mihi noctes euigilandæ fuerunt; quàm gelida, quàm

gelida

gelida perpaucarum horarum quieti defatigata membra tradebam! quantum erat præuiſum emolumentum, quanto capiebar ſuauitatis ſenſu! Lingua illa hæc eſt, quam indefeſſus, ſtudijſque florentiſsimus Ioachimus Fortius Ringelbergius Andouerpianus, ætate, & amicitia coniunctus cum viris conſummatiſsimis in litteris tranſalpinorum finium in excultiſsimis ſuis opuſculis ἐγκυκλοπαιδεία, nempe, omnium diſciplinarum congeries, vel magis ad verbum, orbis doctrinæ appellatis, affirmare non dubitat, vix à ſe eruditum illum dici, qui tam bonæ frugi non teneat linguam. eamque ob cauſſam ſuis Græca elementa inſeruit. Lingua illa hæc eſt, cuius, & præſidio, & auctoritate honorificentiſſimos Loyolenſes Patres, Cameronam, Græcarum, Latinarumque litterarum inſtauratorem; Proficium, inſigne eruditionis promptuarium; Guiniſium, iuuentis, ſcriptura, nitore æquipondium; Ianuarium, clariſsima antiquitatis penetralia; Donatum, litteratiſsimis litteratiorum trutinam, noſtræq. memoriæ Latinè vaticinantium grauitate Maronem; Angelum Gallutium, dicendi venerum Apellem, linguarum, artium, ſcientiarum, ingeniorumque Phœnicem viuaciſsimum: ceteraſque (nam decet alumnum celeberrimos ſuos grati animi ergo cum laude

elimauit? litteraria Græca. quænam Gulielmum Budæum, ſui temporis ſcriptorum Liuium exornauit? litteraria Græca. quænam Scaligerum, inexorabilem Mercurialium vatum Rhadamanthum expoliuit? litteraria Græca. quænam Paullum Manutium, Latinarum epiſtolarum Roſcium conſummauit? litteraria Græca. quænam Henricum illum, Græcorum, Græcolatinorumque grammaticorum criticum, mimum, & pantomimum inſigniuit? litteraria Græca. quænam Tacitanum Lipſium, acutiſsimum noſtri litteratorum ſæculi Ariſtarchum illuſtrauit? litteraria Græca. quænam Marcum Antonium Muretum, huiuſce ætatis Tullium locupletauit? litteraria Græca. quænam nos denique lingua ex innumerabilibus Latinorum ſalebris eripuit, illorumque in barathra ſexcenta ruituris accurrit? litteraria Græca. Itaque prolatis ſtatuendum, doctum virum litterariæ Græcæ linguæ expertem tamquam auem ſine plumis, tamquam cæcum ſine duce, tamquam nauem ſine remis, tamquam poetam ſine figmentis, tamquam dialecticum ſine formulis, tamquam aſtronomum ſine ſphæra, tamquam aſtrologum ſine ſignis, tamquam phyſicum ſine corporibus, tamquam metaphyſicum ſine re, tamquam Theologum ſine pietate: poſt omnia tamquam corpus ſine anima eſſe, atque haberi. Tu ſolus, ceteris quibuſcunque non allatis, mihi teſtis eſto totius explanator iuris, Tuſce Accurſi. quoties enim tu litterariæ Græcæ linguæ indigentia, atque inſcientia in ipſa lu-

ce

ce caligas? nonne tu maximè ex eo ſub Ælij Antonij Nebriſſenſis, Hiſpaniarum ornamenti, de litteris bene meriti, eius tamen præclari ſermonis dumtaxat delibantis, tanto tuo dedecore ſub cenſorium ſtylum deueniſti? Quàm feſtinus, ô noſtrorum ſagax deguſtator, vitam niſi cum morte commutaſſet, ſic planè rem habere fateretur! Quamobrem benigno litterariæ Græcæ linguæ munere, & doctiores iuris conſulti, & probatiores magiſtri, & facundiores oratores, & cautiores medici, & ſpectabiliores litterati, & certiores ceteri redduntur. O linguam terque, quaterque fortunatam! tuo enim, tuo enim, inquam, merito, & tam multa, & tam multis digna laudibus magnificè, veraciter, ac prouidè recenſentur, recenſaque ſuauiſsimè cantantur; tu illa doctiſsimorum hominum aſſenſu ſpecioſa inuento, experientia ſuauis, compoſitione felix, deriuatione diues, vſu neceſſaria, antiquitate nobilis, vi præpotens. quid plura? tu vitali ex Cruce, tu Conſtantino ex principe, tu ex Apoſtolicis concionibus, tu ex Græcis Patribus Sancta, vel enim potiùs Sacroſancta. Tuas ergo perſequi laudes ita foret, ac ſi ad Græcum, atque vnicum tuum aſpiraretur Pindarum, aut vitreo mari Dædali opera imponeretur nomen

Luna inargentatis suis splendoribus atras obscuræ noctis tenebras collustrare destiterit. quum splendidissimorum stellantis cæli luminum excelsa erit præpedita in perpetuum ostentatio. quum multimodis, blandulisque vocularum lenocinijs garrire versicolores auiculæ erunt vetitæ. quum in se receptas voces referre imitatrix echo non valuerit. quum antiquiore orbati turturis sociæ nullas permanarit ad aures querimonia. tum demum, ó decora, ó frugifera, ó fatalis litteraria Græca lingua intercides, quando genitrices caussæ suos effectus gignere prohibebuntur. Hem, auditor ingenue l..nam ad tantarum huius linguæ proferendam virtutum molem non vtique aliud desiderandum videtur, docto credas, quàm diuinum ingenium, mira dispositio, validiora argumenta, grauiores sententiæ, selecti colores, felix memoria, vox clara, victrix eloquentia, pronunciatio suauis, gestus elegans cælestis Polymniæ. ita enim summa huius linguæ gloria explicaretur, explicata excoleretur, exculta persuaderetur, persuasa degustaretur, degustata exoptaretur, exoptata denique perdisceretur. Reliquum est, studiosissime, vt iam opinor, litterariæ Græcæ linguæ laudum spectator, vt tam multis, tantisque huius linguæ præconijs celebratis, nec paucis breuitati à me consulente sparsim pretermissis, omnem ad foro vtendũ, vt aiunt, moueas lapidem. Itaque te virum litterarũ amantissimum Ciceronis in præfatione Officiorum primo, vt Græca Latinis adiungas, ego cohortatus exem-

plo,

plo, iam affluentibus aquis lætificatis agris, ſatis mihi equidem fecero, ſi noſtri diſticho diſcipuli fluidos ſic tandem aliquando occludam riuulos:

Dum licet, ac tacitos feſtinus tranſigis annos,
Diſce: dies fugiunt more fugacis aquæ.

PERCVRRENDA.

τὸ προτρεπτικὸν adhortationem. *ἐγκυκλοπαιδεία* orbis doctrinæ. *παραλογισμοὺς* captiones. *ἀδύνατον* impoſsibile.

Noſtra interpretandi ratio, in oculis late lector, aliàs ad verbum videas, aliàs per paraphraſim peritiorum more, doctiſſimorum ſuaſu.

Ceterùm rectè ſcribendi ſcientiam in primis Aldinam legimus.

ΠΛΕΥΣΤΕΩΝ ΚΩΠΑΙΣ NAVIGANDVM REMIS.

ΗΣ ΚΕΛΩΝΗ ERAS TESTVDO.

ΕΙΣ ΑΕΤΟΣ ES AQVILA.

LAVS DEO, EIVSQ. MATRI SEMPER, HONOR, ET GLORIA.